

THESES THEOLOGIÆ FUNDAMENTALIS

---

PARS II

# DE ECCLESIA CHRISTI

(Ad usum privatum et pro manuscripto).



Studium Theologicum de Aranzazu  
Anno Sancto 1950

UNIVERSITY LIBRARIES

DE ECCESSA CHRISTI

## **CONSPECTUS PARTIS II**

# **DE ECCLESIA CHRISTI**

Hæc media pars Theologiæ Fundamentalis continet tres tractatus.

### **Tractatus I**

#### **DE REGNO DEI**

In hoc tractatu prævio describuntur proprietates Regni Dei a Jesu prædicati.

### **Tractatus II**

#### **DE CONSTITUTIONE SOCIALI ECCLESIAE**

Hic quæritur quam constitutionem seu organisationem dedit Jesus Regno Dei his in terris existenti, seu Ecclesiæ. Tractatus dividitur in tres sectiones:

1.<sup>a</sup> Quam constitutionem dedit Jesus Ecclesiæ, ut eruitur ex Evangelii.

2.<sup>a</sup> Quomodo constituta fuerit Ecclesia tempore Apostolorum.

3.<sup>a</sup> Quomodo constituta fuerit Ecclesia tempore post apostolico.

### **Tractatus III**

#### **DE NATURA SUPERNATURALI ET DE PROPRIETATIBUS ECCLESIAE**

Hic explicatur finis et natura supernaturalis Ecclesiæ, via ad Ecclesiam veram a falsis dignoscendam, etc.

## PARS II

### DE ECCLESIA CHRISTI

Ingredimur jam medianam partem Theologiae Fundamentalis. Suppositis omnibus quae in priori parte probata fuerunt, nunc ulterius quaerimus: Ubinam invenitur revelatio christiana? Quomodo homines nostræ ætatis poterunt pervenire ad illam? Exsistit consignata in aliquo libro, captui omnium accomodato, vel Christus providit alio modo ut hic thesaurus revelationis christianæ custodiatur inviolate et exponatur fideliter? Responsum eruendum est ex fontibus. Christus condidit societatem aliquam religiosam organisatam et ei commendavit suam doctrinam; suo munimine et præsidio Ecclesia est depositarium totius revelationis, magistra populorum, insignita auctoritate divina et charismate infallibilitatis. In ea invenitur vera doctrina revelata absque errore. Sed debemus probare hanc fuisse mentem Christi, scilicet Christum ipsum condidisse hanc œconomiam ut suum salutiferum opus applicetur ad omnes et singulos homines omnium temporum. Ordo sequendus erit historicus seu geneticus.

*Divisio.* Hanc partem De Ecclesia dividimus in tres Tractatus: 1.<sup>o</sup> Tractatus De Regno Dei. 2.<sup>o</sup> De Constitutione sociali Ecclesiæ. 3.<sup>o</sup> De natura supernaturali et de proprietatibus Ecclesiæ. Hic ultimus tractatus est præcipue dogmaticus, nam Ecclesia est etiam dogma et debet considerari dogmatice. Piores sunt apologetici.

*Methodus* in duobus primis tractatibus erit historicæ, nam agitur de factis historicis probandis. Recurrentum est ad fontes seu ad testimonia, discutere eorum valorem etc usque perveniatur ad certitudinem facti. Colligendi erunt plurimi textus fontium, etsi inæqualis valoris. Aliqui non erunt nisi indicia, alii egent luce aliorum et ex omnibus conflatur argumentum. Argumentum historicum est velut opus mussivum, constat ex plurimis elementis et unice ex reunione omnium fragmentorum perficitur imago perfecta.

# TRACTATUS I

## DE REGNO DEI

### INTRODUCTIO

*Objectum tractatus.* — Jesus initiavit suam prædicationem nuntians adventum temporis messianici. «Appropinquavit regnum cœlorum». Cfr. Mt. 4,17.23 ; 9,35 ; 10,7. Et in sua prædicatione ad populum delineabat naturam et proprietates hujus Regni. Nos igitur debemus hic considerare doctrinam quam Jesus proponebat de regno Dei. Hoc Regnum nihil aliud est quam bonum illud quod Messias debebat afferre hominibus, scilicet, salutem messianicam. Hic tractatus est igitur velut *delineatio quædam generalis regni messianici*. Et quoniam Ecclesia nihil aliud est quam hoc Regnum Dei in terris exsistens, jam hic probantur multæ proprietates Ecclesiæ.

*Regnum Dei et regnum cœlorum.* — Sunt locutiones synonimæ usitatæ tam in litteratura rabbinica quam in evangeliis. Tantum Mt. adhibet alteram ex his locutionibus, et non semper, quia aliquando etiam adhibet priorem; ceteri evangelistæ semper adhibent «regnum Dei». Ob reverentiam nomini Iahwe substituebatur vox cœlum. Igitur duæ locutiones idem sonant, ut eruitur ex locis parallelis ipsorum evangeliorum. Quam ex his duabus locutionibus adhibebat Christus in sua prædicatione? Ignoratur. Aliqui dicunt Mt. imbutum fuisse eruditione rabbinica, ut appareat ex dispositione artificiosa quam evangelio suo dedit, et propter hoc vel propter alias causas mutavit locutionem adhibitam a Christo. Alii vero autumnant ipsum conservasse locutionem genuinam Christi.

*Conceptus Regni Dei.* — Regnum est societas aliqua in qua potestas regendi residet in uno homine. Societas politica monarchica. Rex dicitur ille qui jure proprio et non deputatione civium regit societatem civilem. Ergo Regnum Dei erit *societas hominum quam Deus gubernat tamquam Rex*. Regnum aliquod *præternaturale*, *Dei voluntatis*

*tate positiva institutum.* In omni regno seu societate dantur bona ad quæ obtainenda societas fundata est, et pariter onera implenda. Etiam in Regno Dei res ita se habent. Gratia et donum Dei est bonum hujus Regni, sed exsistit onus seu condicio impletionis mandatorum Dei. Insuper præcipua bona hujus Regni fruuntur in altera vita, quia Regnum Dei habet stadium definitivum ibi. Historice duæ formæ datæ sunt hujus Regni Dei: scilicet, forma Antiqui Testamenti, quando Deus rex populum Israel, et forma Novi Testamenti, in qua vocat omnes nationes ad suum Regnum.

### Regnum Dei in populo Israel

Josephus Flavius definit constitutionem politicam populi judaici tamquam *theocratiam*. (Contra Apionem 2,16.) Loco principis humani Deus ipse obtinet summam potestatem, Ipse est Legislator, Judex, Vindex et administrator rerum publicarum, tam in rebus religiosis quam in politicis, economicis et materialibus. Ut theocracia exsistere possit requiritur ut Deus manifestet suam voluntatem aliqua revelatione, ut det populo suas leges et constitutionem politicam et instituat munera illa quæ suo nomine debent exerceri. Hæc omnia fecit Deus cum populo Israel, ut constat ex historia hujus populi.

1. *Epocha formationis.*—Pactum inter Iahweh et Abraham habemus Gn. 12, 1-3. Est pactum aliquod bilaterale; sed ex parte Dei est merum donum, electio aliqua gratiosa qua Deus seligit hunc populum. Circumcisio non est nisi signum externum pacti. Inter bona promissa insinuatur expectatio messianica Gn. 12,3. Ita Israel fuit in antiquitate populus qui expectabat salutem Iahweh.

In Aegypto familia Iacob fit natio, populus sat numerosus. Ut eos liberet ab oppressione ægyptiaca, Deus mittit prophetam Moysen. Hic educit populum. Juxta montem Sina Deus manifestat voluntatem sumendi hunc populum tamquam suum, si ipsi sint parati ad foedus implendum. Omnis populus respondit affirmative Ex 19, 4-8. Tunc Moyses manifestat populo præcepta Dei Ex 20,1; 24,3. Liber foederis Ex 24,4, Sanguis foederis Ex 24, 4-8, Decalogus Ex 20,1, leges cæremoniales, judiciariæ, sociales, hygienicæ, politicæ etc. Ita pangitur foedus.

2. *Epocha evolutionis.*—Josue, terra promissionis, Judices. Deinde israelitæ voluerunt habere reges, sicut et aliae gentes 1 Reg 8,5. Deus concedit, sed rex regit hunc populum nomine et auctoritate Iahweh. Rex eligitur ab ipso Iahweh (Saul et David), ungitur a Judice vel a Propheta ex parte Dei. Potestas regia est tota quanta determi-

nata per constitutionem theocraticam populi Dei. Si rex non servat mandata et leges Dei, potest privari regno; et de facto ita evenit pluribus regibus Israel; Reges Judæi vero propter David non amiserunt regnum, et ex ipsa stirpe David debebat procedere ille qui debebat afferre salutem Iahweh pro toto mundo.

Præter regem et sacerdotes Deus quandoque mittebat *Prophetas* seu legatos suos, organa Dei, os Dei, ad annuntiandam suam voluntatem populo. Prophetæ debebant conservare in populo memoriam fœderis, solari eum in afflictionibus, disponere ipsum ad adventum Messiae. Revera in ipsis nuntiatur salus messianica pro toto mundo, bona messianica spiritualia. Eminet inter omnes Isaias: *imago Messiae et regni messianici in illo est valde perfecta.* Inter prophetas post-exilicos eminet Daniel; locutiones «Regnum Dei» et «filius hominis» inveniuntur in eo, Dn 7,1; prædictit adventum novi regni, a Deo suscitati Dn 2,44. Regnum messianicum vocatur Regnum Dei et erit universale, æternum. Hæc prophetia Daniel exercuit maximum influxum in populo et plurimum afficiebat mentes Judæorum.

3. *Epocha reorganisationis nationalis.* — A. 597 judæi ducuntur captivi a Nabuchodonosor rege Babylonis. Sed populi Persarum destruunt imperium babylonicum, et rex Persarum Cyrus permittit redditum Judæorum ad patriam. Non reddierunt omnes, sed plurimi manserunt in dispersione gentium. Illi qui reddierunt constituerunt denuo nationem, dignitas vero regia abolita est. Loco ejus Summus Sacerdos, qui agnoscebat imperium Persarum, regebat populum. Scribæ, qui generatim erant viri laici, constituti sunt zelatores Legis.

Alexander Magnus destruxit imperium Persarum; post mortem illius a. 336, Judæa mansit sub ditione Aegypti seu Ptolemeorum per integrum sæculum et postea transiit ad Seleucidas Syriæ, et tandem tempore Pompeji Romani potiti sunt Syria et tunc etiam Judæa transiit ad potestatem Romanorum, etsi adhuc habebat reges proprios (Hasmonæi, Herodiani); tandem a. 6 post Christum cœpit gubernari a procuratore qui directe dependebat a præside Syriæ.

Post bella Alexandri Hellenismus pervasit in Orientem. Lingua et cultura græca florebat in magnis civitatibus. Rex Antiochus IV a. 175 voluit imponere Judæis religionem et mores paganorum; tunc Machabæi seu Hasmonæi inierunt bellum pro patriis institutis et tandem agniti sunt a Seleucidis et Romanis et constituerunt dynastiam propriam. Ex alia parte Judæi in dispersione dilataverunt veram religionem inter gentes; multi proselyti et advenæ religionem judaicam amplexi sunt. Judæi dispersionis habebant magnum studium suæ religionis dilatandæ, cfr. Eccli 36,1 ss.

## REGNUM DEI MESSIANICUM

### Ideæ messianicæ

*Testimonia extracanonica.* — Ad cognoscendas ideas messianicas vigentes tempore Christi multum inservit testimonium librorum extracanoniconorum. Exsistit litteratura sic dicta *apocalyptic*, scilicet libri qui describunt revelationes, agunt de arcanis mundi, de historia et providentia, de regno messianico et fine mundi, ut Judæi in his revelationibus invenirent solamen. Multi ex his libris conscripti fuerunt tempore machabaico vel paulo postea: Liber Henoch, Liber Jubilæorum, Testamenta 12 Patriarcharum, Psalmi Salomonis, Statuta Novi Fœderis, Assumptio Moysis, IV Esdræ, Apocalypsis Baruch, etc. Aliqui ex iis sunt plus minusve ex tempore Christi vel paulo posteriores. Habemus etiam scripta rabinica, ut Mischna (s. II post Christum). Etiam S. Justinus in suo Dialogo cum Triphono Judæo a. 160 refert nobis ideas messianicas judæorum; similiter Hippolytus Romanus. Denique aliqua facta historica sunt testimonium de hac expectatione messianica.

Ex his omnibus documentis apparet Judæos tempore Christi habuisse exspectationem vividam alicujus regni novi, quod depingunt vividis coloribus. Surget rex immortalis et instaurabit regnum Dei novum, purgabit Jerusalem, destruet gentes etc Messias afferet omnimodam felicitatem. Testimonium Flavii Josephi de bello judaico et expectatione messianica (Dieckmann pg. 54), Taciti K 35 et Suetonii K 42. Idea Messiae apud Judæos, tempore Justini et Hippolyti (Dieckmann pg. 56): rex bellicosus et potens, restaurabit Jerusalem, erit ex stirpe David, non nascetur ex virgine, utique patietur quia hoc constat ex Is 53... Facta historica ut bellum judaicum a. 66 et bellum Barkokeba a. 132 probant etiam hanc expectationem messianicam; et jam antea procuratores romani debuerunt reprimere motus similes. «Venient pseudo-Christi nomine meo dicentes: Ego sum Christus...» Universalismus salutis messianicæ parum agnoscebatur; Messias erat tantum pro Judæis et expectabatur tamquam rex terreno-politicus.

*Testimonium Evangeliorum.* — Genuina idea messianica, prout apparet in vaticiniis prophetarum, deturpata est, ut ex dictis patet. Pariter constat hoc ex evangeliis. Dicamus aliquid de ideis messianicis tempore Christi, prout eruitur ex testimonio evangeliorum.

Locutio «Regnum Dei» intelligebatur sensu messianico. Joannes inchoavit suam prædicationem, dicens: appropinquavit Regnum Dei, jam instat; at asserit ipsum non esse Messiam, sed tantum amicum sponsi, præcursorum Messiae. Et Jesus incipit dicens: jam tempus impletum est, credite bono nuntio, Mc 1,15. Id est, nuntiatur adventus regni messianici, impletio expectationis et vaticiniorum.

De Messia et suo regno erant diversæ opiniones. Justi et sancti retinebant imaginem veram, religiosam, spiritualem. Cfr Canticum Benedictus, Magnificat, Nunc Dimitis, annuntiationem conceptionis Jesu, nomen et munus Messiae-Jesu, nuntium angelorum ad pastores...

Vulgus, turba seu gens communis per contrapositionem ad pharisæos et saducæos (Jo 7,47) non pervenit ad agnitionem Jesu tamquam Messiae Mt 16,13, partim ex influxu pharisæorum, partim propter sua præjudicia et ideas messianicas falsas. «Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ» Lc 19,42. In temptationibus Christi inveniuntur ideæ messianicae falsæ, quas vulgus habebat. Indoles messianica harum temptationum eruitur ex contextu: Joannes prædicaverat adventum Messiae, agnovit Jesum tamquam hunc Messiam in baptismo, auditur vox de cœlo, dein dicitur in desertum ut tentaretur a diabolo. Sunt ergo temptationes propriæ et specificæ muneris messianici. En bona quæ diabolus proponit Messiae: 1.<sup>o</sup> Omnimoda prosperitas terrena, abundantia bonorum temporalium: etiam in libris apocryphis depingitur hoc modo epocha messianica; 2.<sup>o</sup> «Mitte te deorsum»: vulgus opinabatur quod Messias debebat sese manifestare apparitione aliqua mira et subitanea: visio cœlestis, signum in cœlo... 3.<sup>o</sup> Imperium politicum: omnia regna mundi; hæc idea politica erat latissime sparsa inter Judæos. Jesus respuit has ideas tamquam temptationes. Apostoli ipsi imbuti erant his ideis messianicis falsis, ut constat ex multis locis Mt 18,1; 16,21; 14,22 «compulit»; Lc 24,21; Act 1,6.

Pharisæi et duces populi habebant plus minusve has ideas falsas, simul ac cultum exaggeratum præscriptionum legalium. Lex erat pro ipsis aliquid summum, definitivum, quod nec Messias poterat abrogare.

Hæc omnia dicta sunt ad modum introductionis. Sed jam debemus inquirere quomodo intellexerit ipse Jesus hoc Regnum Dei cuius adventum nuntiabat. Et quoniam conceptus hujus Regni Dei est valde complexus, includens diversas notas et aspectus varios, tractabimus de singulis proprietatibus per varias theses subsequentes.

## THESIS I

**Jesus annuntiavit Regnum Dei non mere eschatologicum (transcendentale) sed etiam præsens, id est, exsistens in condicionibus hujus sæculi**

NEXUS.—Secundum evangelia Jesus prædicabat adventum Regni Dei. In hac et sequentibus thesibus volumus determinare conceptum hujus Regni Dei juxta mentem ipsius Christi.

NOTIONES.—*Eschatologicum* seu *transcendentale*, ab «eschatæ» ultima, dicit relationem ad novissima, id est ad sortem finalem et definitivam mundi et singulorum hominum. Hæc novissima incipiunt pro unoquoque homine cum morte, pro mundo cum fine mundi vel cum transformatione generali et finali in statum meliorem seu absolute ultimum.

In thesi affirmamus Regnum Dei a Jesu annuntiatum esse quidem eschatologicum. Et certe Regnum Dei quod Jesus prædicabat est eschatologicum dupli ratione: 1.<sup>a</sup> quatenus hoc Regnum Dei habet in altera vita seu in cœlo stadium suum ultimum, vere definitivum et perfectum; 2.<sup>a</sup> quatenus etiam in hac vita Regnum Dei Messianicum repræsentat stadium ultimum respectu Antiqui Testamenti; est œconomia definitiva, phasis ultima; loco Veteris Testamenti succedit Fœdus novum, ultimum et usque ad consummationem sæculi duraturum.

Ergo in Regno Dei distinguendum est stadium duplex: 1.<sup>o</sup> Stadium transcendentale, seu vita æterna in cœlo; 2.<sup>o</sup> Huic stadio præcedit stadium hujus vitæ, in quo Regnum Dei evolvitur in condicionibus hujus sæculi. Ergo etiam homines mortales fiunt cives hujus Regni Dei, participes bonorum illius Regni et obstricti ejus legibus. Hoc Regnum Dei præsens habet relationem cum Regno transcendentali, nam introitus in Regnum præsens dat jus ad Regnum transcendentale, si leges et onera hujus Regni impleantur. Praeterea Regnum præsens non est mera præparatio ad transcendentale, sed etiam inchoatio et vera participatio bonorum regni cœlestis: redemptio, gratia, vita supernaturalis donantur nobis in hac vita.

Ergo thesis habet duas partes: I Regnum Dei est eschatologicum, II est etiam præsens.

ADVERSARII.—Nostris diebus multum locuti sunt de hac re sic dicti *Eschatologistæ*, ut Baldensperger, Weiss, Loisy, etc. Secun-

dum hos Jesus putabat finem mundi jamjam imminere et ideo noluit haberi ut Messias in hac vita nec cogitavit de instituenda societate aliqua religiosa in condicionibus hujus saeculi exsistente; unice in fine undi debebat fieri Messias et tunc venturus erat cum magna gloria ad regnandum in mundo aliquo novo, transformato et transcendentali. Haec ideae sunt prorsus alienae omnibus ideis tunc sparsis in populo, nam Regnum Messiae ab omnibus habebatur tamquam praesens seu exsistens in hac terra et in condicionibus hujus vitae praesentis. Eschatologistae citant pro sua theoria aliquos textus evangeliorum, quos in scholio breviter consideramus.

CENSURA.—D 2033, 2035, 2052. Doctrina theseos est de fide divina et catholica, nam continetur formaliter in fontibus et docetur ab universali Magisterio.

PROB. I PARS : *Regnum Dei est eschatologicum.*

Indoles transcendentalis Regni Dei est nimis evidens. Pro Jesu altera vita est finis ad quem tendit haec vita praesens, omnia igitur ordinantur ad alteram vitam. Merces vestra copiosa est in celis Mt 5,11. Ne terreamini ab his qui occidunt corpus Lc 12,4. Tandem aliquando quod nobis interest est stadium ultimum, definitivum, seu altera vita. Sors aeterna hominum deciditur in Judicio finali, cum ipse tamquam Judgeus judicabit omnes homines. Jesus annuntiat alterum adventum suum gloriosum, qui adventus coincidit cum fine mundi et initio Regni Dei absolute transcendentalis Mt 24,30. Nunc in hac vita seminatur, in altera habetur messis Mt 13,24-43. Hic sumus in stadio preparationis.

PROB. II PARS : *Regnum Dei est etiam praesens.*

1.<sup>o</sup> Tota doctrina evangelica supponit implicite Regnum Dei existere jam in condicionibus hujus vitae. Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus et haec omnia adjicientur vobis Mt 6,33, i. e., postulat a nobis servitium perfectum Dei praestandum in hac vita, impletionem legum perfectissimam, ergo hoc regnum Dei invenitur in hac vita. Omnia mandata Christi pertinent ad condiciones hujus vitae. Tota doctrina Jesu excludit eschatologismum extremum quem supponunt adversarii. Etiam bona regni Dei dantur jam in hac vita: redemptio Mt 20,28, gratia Jo 3,16. Regnum Dei est impletio Veteris Testamenti, ergo talis impletio debet habere locum in hac vita: Multi cupierunt videre quae vos videtis Mt 13,16.

2.<sup>o</sup> Ex parabolis. Integrum caput habetur Mt 13 in quo Jesus proponit septem parabolas ut describat indolem, naturam, sortes et

finem regni Dei in hac terra. Prima parabola (seminantis) ponit originem hujus regni in verbo ; verbum pervenit quidem ad aures, sed non in omnibus invenit mentem bene dispositam et ideo fructus est inaequalis. 2.<sup>a</sup>, 3.<sup>a</sup> et 4.<sup>a</sup> (zizaniorum, grani sinapis et fermenti) agunt de sortibus hujus regni: simul cum Regno Dei coëxistit regnum Satanæ et ita erit usque ad finem mundi ; sed hac coëxistentia non excluditur regnum Dei usque crescere, ad modum magnæ arboris congregabit in suo sinu omnes populos. Virtus divina quæ vivit in Ecclesia penetrabit mundum, transformabit illos omnes quotquot ostacula non interponunt.—Parabola 5.<sup>a</sup>, 6.<sup>a</sup> et 7.<sup>a</sup> (thesauri absconditi, margaritæ inventæ et sagenæ) agunt de fine Regni Dei in hoc studio præparationis. Quoniam tandem aliquando stadium transcendentale est præcipuum quod interest, hic omnia vendenda et relinquenda sunt ut acquiramus hoc summum bonum. Mali debent exsistere, triumphus definitivus Regni Dei non habebit locum nisi in consummatione sæculi ; nec omnes qui externe pertinent ad Regnum Dei his in terris habebunt partem in regno cœlesti ; segregatio fiet in ultimo judicio. Clarius non poterat loqui de Regno Dei præsenti et futuro. In his omnibus affirmatur Regnum Dei exsistere etiam in condicioneibus hujus vitæ præsentis.

3.<sup>o</sup> *Aliqui textus expliciti.*

*Mt 11,12.* Legatio Baptistæ et responsum Jesu. Summis laudibus extollit Joannem ; tamen qui minor est in regno Dei, major est illo. *Quare?* Quia Joannes pertinet ad A. Testamentum, et exsistit differentia essentialis inter utramque œconomiam ; Novum Regnum tantopere excedit Fœdus Vetus ut minima ejus membra præcellant ante maximos prophetas, quatenus hi pertinent ad A. Testamentum. Ergo hoc novum Regnum jam adest, jam exsistit præsens. Præcise quia exsistit, homines inimici vim faciunt contra illud, impediunt introitum in illud. Ergo tempus prophetarum jam transiit ; ultimus illorum, Joannes, jam disparuit. *Quare?* Quia jam apparuit Messias et Regnum Dei exspectatum jam adest. Non impugnaretur si non exsisteret.

*Mt 12,22.* Hic habemus quomodo illi homines inimici vim faciebant contra novum Regnum. Ejicit dæmonia in nomine Beelzebub. Jesus refutat hanc calumniam : a) diabolus non destruit suum proprium regnum, b) cum judæi ejiciunt dæmonia nullus cogitat hoc fieri virtute diabolica. Sed si Ego virtute divina ejicio dæmonia, *igitur pervenit in vos regnum Dei.* Fortem (diabolum) alligavit fortior (Christus). Ergo Regnum Dei jam est præsens his in terris.

*Lc 17,20.* ¿Quando venit Regnum Dei? Non potest observari tamquam signum aliquod cœleste. Regnum Dei jam est inter vos, jam adest, jam est præsens.

Obj. «Appropinquavit...» ergo instat, sed adhuc non venit. R<sup>y</sup> Non est contradic<sup>tio</sup>. Messias-Rex jam adest, tempus exspectationis jam est impletum et cito hic Rex instituet suum Regnum.—«Adveniat Regnum tuum», ergo nondum venit. R<sup>y</sup> Potest intelligi de Regno transcendent<sup>i</sup>, et etiam de præsenti quatenus amplius dilatari potest ita ut omnes homines huic sese subjiciant.

*Sententiæ eschatologicae Christi (Cfr Segarra).*

*Mt 16,28.* Amen, amen dico vobis, sunt quidam de hic astantibus qui priusquam moriantur videbunt Dominum gloriosum. Et post dies sex assumpsit... (Transfiguratio).

*Mt 10,23.* Cum persequentur vos in una civitate, fugite in aliam, et nolite timere, non deerunt vobis civitates refugii ne in Israel quidem, donec veniat Filius hominis.

*Mt 26,64.* Quamvis nunc sum in hoc statu humili, cito incipiet status meus gloriosus (in Resurrectione).

*Mt 24,34.* Excidium Jerusalem accedit intra illam generationem. In hoc sermone eschatologico Jesu agitur de duabus eventibus inter se aliquo modo connexis, scilicet de ruina civitatis et de fine mundi. (Cfr Ricciotti).

Ecclesia primæva certissime credidit et exoptavit alterum adventum Christi. Hic Jesus qui assump<sup>tus</sup> est... sic veniet Act 1,11. Sed ipsi jam sciebant Jesum fuisse Messiam etiam in sua vita passibili, suum opus messianicum perfecisse, Ecclesiam instituisse etc. De hoc non habebant dubium, quæstio est utrum existimabant adventum hoc alterum fore cito, ita ut ipsi viderent Jesum in hoc altero adventu. Sed eschatologistæ permiscent res et statim dicunt: hæc exspectatio parusiæ probat quod Regnum Christi est pure eschatologicum. Arbitrarie assertur hoc, nam S. Paulus et omnes Apostoli clarissime docent Christum instituisse novam cœconomiam religiosam per oppositionem ad antiquam, redemptionem perfecisse et bona messianica nobis attulisse. Ergo hæc omnia supponunt Regnum Dei jam præsens et existens et constitutum in condicionibus hujus vitæ. Col 1,13.

—Extra evangelia, in reliquis libris Novi Testamenti, apud Patres Apostolicos etc hæc locutio «Regnum Dei» fere semper designat regnum cœleste, et ad designandum regnum Dei his in terris adhibetur vox «Ecclesia». Aliquid simile ac accidit cum voce «Filius hominis».

## THESIS II

**Secundum evangelia Regnum Dei est quidem essentialiter et primarie internum, quatenus præbet dona præcipue interna atque postulat subjectionem sub voluntate Dei; simul autem est externum, i. e. societas aliqua religiosa et visibilis**

**NEXUS.**—Si Regnum Dei exsistit jam in hac vita, debemus nunc indagare ejus formam. Secundum fontes Regnum Messianicum describitur velut organisatio, societas seu communitas aliqua, ad modum regnum terrenorum, in quo regno Messias ipse erit Rex. Proinde hoc Regnum habet aliquam exterritatem, nam bona hujus Regni communicantur hominibus quatenus sunt membra alicujus societatis religiosæ.

**NOTIONES.**—*Internum* dicitur Regnum Dei quatenus bona et onera hujus Regni sunt præcipue interna, ut appareat ex probatione. *Externum* hoc est, habet etiam aliquam organisationem externam et visibilem, et hæc organisatio exsistit ut medium per quod Deus communicet dona interna modo sociali.

**ADVERSARII.**—Protestantes liberales. Hi negant Christum condidisse societatem aliquam religiosam externam. Jesus intellexit Regnum Dei tamquam vitam novam, moralem et religiosam. Jesus pro ipsis est purus homo, qui tamen habuit experientias religiosas sublimes et proposuit eas. Ita Harnack (*Das Wesen des Christentums*) docet ideam Regni Dei mere interni. Jesus expertus est Deum tamquam Patrem et hæc est tota doctrina ejus. Regnum Dei nihil aliud est quam Deus regnans in unaquaque anima, relatio inter Deum et animam solam. Ipse non cogitavit de societate aliqua ab ipso fundanda. Omnes organisationes quæ inter ipsos protestantes prodierunt (*Ecclesia luterana, calvinistica etc*) non sunt nisi imitationes Ecclesiæ Catholicæ; et si in effatis Christi invenitur aliquid quod prodit societatem constitutam suis asseclis, hoc tribendum est influxui temporis vel idearum judaicarum in mentem Christi: ita Sabatier.

**CENSURA.**—De fide divina et catholica: prout formaliter edocita in fontibus et proposita ab universali Magisterio ut credatur a fidelibus.

Thesis habet duas partes: 1.<sup>a</sup> De indole interna Regni Dei, 2.<sup>a</sup> De ejus indole externa. Hæc indoles externa extensius apparebit per integrum tractatum De Constitutione Sociali Ecclesiæ.

PROB. I PARS: *Regnum Dei est primarie et essentialiter ali- quid internum.* Hoc patet ex bonis et oneribus hujus Regni.

1.<sup>o</sup> *Bona Regni Dei.* Regnum Dei est gratia, donum gratiosum Dei. Ut tale, Regnum Dei nihil aliud est quam complexus omnium bonorum quae Deus decrevit dare hominibus in hac œconomia supernaturali. Fruitio plena et perfecta horum bonorum datur in altera vita, sed etiam hic habetur possessio realis talium bonorum. Hoc bonum est «salus» seu salvatio, nam non est voluntas apud Deum ut pereat unus ex his pusillis, Mt 18,14. Jesus venit ad dandam suam vitam in redemptionem pro multis Mt 20,28, quod perfecit in sacrificio crucis Mt 26,28. Venit querere et salvum facere quod perierat Lc 19,10. Inter bona hujus Regni specificantur remissio peccatorum, gratia et vita æterna..., quae omnia, ut patet, sunt prorsus interna et spiritualia.

2.<sup>o</sup> *Onera quæ postulat Regnum Dei.* Pariter dici debet de oneribus. Quamvis Regnum Dei sit donum gratiosum, non potest recipi absque libera cooperatione hominum. Ideo Jesus postulat poenitentiam Mt 4,17. Beatitudines describunt nobis dispositiones quæ requiruntur: paupertas, mansuetudo, misericordia, mundities animi etc. In toto sermone montano extollitur hic aspectus ethicus Regni Dei: non sufficit opus externum, consideranda est intentio interna, præstandum est Deo servitium omnimode perfectum, Mt 5-7. Regnum Dei postulat maxima sacrificia, usque ad renuntiationem vitæ, Mt 10,34.

Hæc omnia, ut patet, supponunt indolem internam Regni Dei.

PROB. II PARS: *Regnum Dei est etiam exterum.* Id est, bona interna hujus Regni dantur hominibus quatenus sunt membra aliqui- jus communitatis. Non est difficultas in eo quod Deus revelet aliquam religionem positivam ut exercendam forma sociali, maxime cum hoc sit valde consentaneum cum natura sociali hominis. Sed revera elegit Deus hanc formam socialem? Quid eruitur ex Evangelii?

Imprimis Novum Regnum appetet ut impletio Veteris: Vetus habuit formam socialem, ergo videtur etiam Novum non debere differre quoad hanc rem. Per ritum aliquem *externum* intratur in illud, Mt 28,19. Etiam nomina et res quibus comparatur, innuunt hoc: grex Lc 12,32, vinea quam Deus plantavit et sœpivit, Mt 21,33, regnum Mt 21,43, domus Mt 16,18. In parabola zizaniorum supponuntur regnum Dei et regnum Satanæ tamquam externe dignoscibiles Mt 13,24 ss. In parabola de sagena clarissime effertur natura socialis: hæc sagena congregat intra se pisces bonos et malos, id est, iisdem vinculis socialibus inveniuntur uniti intra hanc societatem reli-

giosam homines mali et boni. Etiam vox Regnum Dei prodit hoc ipsum. Voce Ecclesia exprimi naturam socialem Regni Dei ipsi adversarii concedunt et ideo negant Jesum adhibuisse hanc vocem; sed de hoc in tractatu sequenti.

### THESIS III

#### Regnum Dei a Jesu prædicatum non est politicum, sed mere religiosum

NEXUS.—Regnum Dei in A. Testamento erat religiosum et simul politicum. Numquid Regnum Dei novum simili modo debet esse politicum? Hoc indagatur in thesi.

NOTIONES.—Regnum Dei *politicum*. Regnum quod præter fines religiosos amplectitur etiam fines proprios societatis civilis seu Status. Status habet tamquam munus procurare hominibus felicitatem temporalem naturæ humanæ congruam et proinde ordinat relationes sociales hominis.

Regnum Dei *mere religiosum* = quod non habet alium finem nisi ordinare vitam religiosam membrorum; proinde excludit res pure politicas, sociales, hygienicas etc In hoc intercedit magna differentia inter Antiquum et Novum Testamentum.

ADVERSARII.—Fuerunt aliqui qui asseruerunt Jesum fuisse ducem politicum, ipsum inchoasse motum aliquem socialem, proletarium seu communistam, e. gr. Kautsky.

CENSURA.—De fide divina et catholica, quia formaliter continetur in fontibus et edocetur ab ordinario et universalii Magisterio.

Thesis habet duas partes: 1.<sup>a</sup> Regnum Dei non est politicum, 2.<sup>a</sup> Est mere religiosum.

PROB. I PARS: *Regnum Dei non est politicum.*

Jesus accurate distinguit inter Regnum Dei politicum et religiosum: «Reddite quæ sunt Cæsaris...» Mt 22,15, id est, ea quæ sunt Dei etiam sub potestate Romanorum possunt obtineri; potestas politica ut talis non pertinet ad Regnum Dei. «Dabo tibi omnia regna mundi»: hæc fuit una ex temptationibus diaboli Mt 4,8, quam Jesus rejicit, nam bona terrena et materialia non pertinent ad Regnum messianicum. Cum aliquis dixisset illi: «Dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem», Jesus respondit: «O homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos?» Lc 12,13. Utique loquitur de regno suo glorioso, sed in altera vita, non hic Lc 23,42; 22,25. Hic debet

pati et ita intrare in gloriam suam Lc 24,26. Neque in altero adventu restituunt regnum aliquod terrenum, sed unice veniet ad judicandum Mt 25,31. Cum voluerunt ipsum facere regem, fugit Jo 6,14; Mt 14,22. «Regnum meum non est de hoc mundo», dixit Pilato Jo 18,33. Neque discipuli Jesu sunt de hoc mundo, non sequuntur principia et modum sentiendi mundi, non debent exspectare bona materialia Jo 17,14. Et præcise propter hoc, quia nollebat esse Messias politicus, populus eum non agnovit. Et quamvis coram Pilato accusarunt eum de crimine politico, cito cognovit Pilatus falsitatem hujus accusationis. Similiter Herodes non exspectavit regem videre, sed prophetam et thaumaturgum Lc 23,8. Vera accusatio contra Jesum non fuit ordinis politici quia omnes sciebant suum regnum messianicum non esse politicum Mt 26,65; Jo 19,7; Mt 27,43.

PROB. II PARS: *Est mere religiosum.*

Christi Regnum unice opponitur regno diaboli Mt 13,40. Beatitudines excludunt ab hoc regno omnia bona materialia. Bona hujus Regni sunt remissio peccatorum, renovatio interna, gratia, sanctitas...

*Schol.* Hoc ipsum habetur in epistolis Pauli, Rom 13,1 et Petri, 1 Petr 2,13. Uterque agnoscit imperium politicum tunc existens, et ratio est quia Ecclesia est mere religiosa. Nostra spes est in altera vita. Ecclesia unice ordinat vitam religiosam et finem suum obtinere potest etiam in regno aliquo gentili.

—*Utrum Christus et Ecclesia primæva docuerint Communismum.*

Natura sua intima Regnum Dei quam maxime opponitur omni comunismo, quatenus hic bona materialia eorumque augmentum et possessionem pro summo fine habet, seu quatenus est materialismus. Unice quæritur hic utrum Christus commendaverit vitam communem et primi christiani gesserint hunc modum vivendi. Certe hæc vita communis non repugnat doctrinæ Christi et in Ordinibus religiosis exercetur, sed Christus non præcepit hanc formam tamquam necessario exercendam a christianis. Præcepta Decalogi, etiam VII, in valore manent. Divites non excluduntur a regno Dei. Jesus non reprobat divitias ipsas, sed usum malum divitarum, avaritiam, sollicitudinem nimiam et habere cor positum in his bonis terrenis. Jesus dicit «væ» divitibus, sed sese refert ad illos qui habent suam spem et consolationem in hac vita et non curant de Regno Dei. E contra, paupertas ex se, si debito modo accipiatur, est optima dispositio ad Regnum Dei. Parabolæ Christi supponunt condiciones sociales inæquales: domini, servi etc Jesus condemnat nimiam sollicitudinem, sed non laborem et curram rerum convenientem.

In Act legitur in communitate christiana Jerusalem omnia bona

fuisse communia 2,44; 4,32. Sed venditio bonorum non erat aliquid obligatorium, sed opus liberum et laude dignum; hoc dixit Petrus Ananiæ 5,4; et exsistebat proprietas privata, e. gr. domus Joannis Marci 12,12. Apostoli distribuebant secundum necessitates uniuscujusque, ergo erant aliqua bona privata. Similiter Paulus agnovit condicioneis sociales existentes, etiam servitutem, commendat eleemosynam, quibus christiani sublevent necessitatem sanctorum in Jerusalem. Jacobus condemnat quod in ecclesia diviti detur honor præcise quia habet divitias et reprehendit divites qui suis divitiis contenti non curant de Regno Dei nec faciunt opera misericordiæ.

## THESIS IV

### Secundum evangelia Christus œconomiam Fœderis Veteris abrogatum iri indicavit eique novum ordinem substituit

NEXUS.—Nunc debemus quærere quam relationem exsistat inter novum Regnum Dei et Antiquum, id est, inter utrumque Testamentum. Si novum Regnum Dei est essentialiter diversum a Veteri, tunc obligationes quæ ortæ sunt ex fœdere quod pepigit Deus cum populo Israel jam non habent valorem; si aliquæ ex iis adhuc sunt in vigore, hoc erit ex alio capite, scilicet quia Christus renovavit has præscriptiones.

NOTIONES.—Sensus nostræ theseos est hic: totus ille ordo religiosus institutus a Deo cum populo Israel abrogatus est et loco ejus Christus instituit œconomiam novam et diversam, id est, Ecclesiam.

Inter ea quæ considerabantur essentialia seu fundamentalia in religione mosaica, præcipua sunt: circumcisio seu signum externum Fœderis, cultus in templo hierosolymitano cum sacrificiis, observantia sabbati, segregatio ab aliis nationibus etc Tollere has res idem est ac tollere religionem ipsam mosaicam. Tempore Christi propter influxum scribarum et pharisæorum existimabant judæi Legem deberre esse æternam et pro semper, sed in prophetis adventus novi alicius Fœderis clare continetur: Jer 31,31; Is 55,3; Bar 2,35 etc. Propter hæc præjudicia judæorum Jesus debuit procedere caute, discrete et gradatim.

ADVERSARII.—Secundum multos Protestantes liberales Jesus nec cogitavit de hac re. Juxta Klostermann Jesus sibi ipsi contradicit, nam ex una parte admittit auctoritatem divinam librorum A. Test. et ex alia parte profert doctrinas oppositas illis libris. Juxta Grafe Je-

sus noluit abrogare Legem et putavit suas doctrinas novas conciliari posse cum illa. Hæc quæstio fuit etiam acriter disputata in Ecclesia primæva. Ex una parte fuerunt judaizantes, ex alia parte Marcion rejecit A. Test. integrum.

CENSURA.—De fide divina et catholica, ut in præcedentibus.

Thesis habet duas partes: in 1.<sup>a</sup> consideramus verba Christi de observantia legis et ejus abrogatione; in 2.<sup>a</sup> examinamus textus de institutione Novi Fœderis.

PROB. I PARS: *Vetus Testamentum abrogatum iri indicavit Christus.*

Christus observavit Legem mosaicam, agnoscit sabbatum, cultum templi, auctoritatem scribarum et sacerdotum Mt 8,4; 23,2; 23,23: 26,63. Agnoscit prærogativas Israel: sunt filii Regni Mt 8,12, noluit exire extra Israel Mt 15,24. Sed simul protulit effata in quibus clare continetur Vetus Fœdus abrogatum iri, quamvis hæc abrogatio indicatur ut futura, quia Sacrificium Christi in quo instituitur Novum Fœdus nondum peractum erat. Jesus revera: 1) statuit principia ex quibus sequitur abrogatio Legis, 2) addit causam seu rationem cur Lex jam cessare debet, et 3) denique nuntiat reprobationem populi Israel.

1) Quoad sabbatum, Ipse est major sabbato Mt 12,8. Quoad Templum, nuntiat ejus destructionem Mt 23,38. Jam non adorabitis Deum nec in Jerusalem nec in Garizim sed spiritu et veritate Jo 4,21. Quoad purificationes legales statuit principium evertens fundamenta totius legislationis Mt 15,11.

2) Ratio cur hæc jam non habeant valorem est quia *Vetus* impleta est. Finis hujus Legis erat præparatio et præfiguratio Novi Fœderis. Jam venit Christus qui est major omnibus institutis Veteris Fœderis Mt 12,42; cum Joanne clausum est tempus prophetarum, scilicet illorum qui cupierunt videre quæ vos videtis Mt 13,17; post servos Deus misit Filium suum, Mt 21,37. Ipse est major Templo, Mt 12,6. Prophetiae impletæ sunt Lc 4,18; 22,37; 24,27. Ergo omnia quæ Prophetæ nuntiaverunt de Messia atque ejus Regno novo jam advenerunt.

3) Jesus nuntiat reprobationem Israel. Certe abrogatio Legis Veteris non supponit reprobationem Israel, nam si populus Israel intellexisset «quæ ad pacem sibi» ingressus esset simul cum aliis populis in novo Regno. Sed quia rejecit Christum, in pœnam hujus criminis ablatum est eis Regnum Dei, Mt 21,43. Ficulnea sterilis Lc 13,6, maledictio ficulneæ infructuosæ Mt 21,18. Et quia Israel rejectus est, Jesus paravit novum fundamentum supra Petrum Mt 16,16. Invi-

tati ad convivium Lc 14,24. Venient ab Oriente et Occidente Mt 8,11. Jerusalem destruetur et calcabitur a gentibus Mt 23,36 ; Lc 21,24. Igitur Israel rejicitur et eo ipso Fœdus ipsum cum eo initum. Hoc non vult dicere quod singuli judæi vel totus populus Israel a salute excludatur ; quin immo Apostoli mandatum acceperunt prædicandi incipientes a Judæa Lc 24,47 ; Act 13,46.

PROB. II PARS : *Christus instituit Novum Fœdus.*

Christus haud obscure innuit in tota sua prædicatione novum ordinem rerum advenisse quoad religionem. Doctrina *nova* Mc 1,27. Requiritur spiritus *novus* ad officia religiosa implenda. Vinum novum et utres veteres Mt 9,14. Non possunt jejunare dum Sponsus adest : Sponsus est Messias qui mutavit condicione rerum. Novum Regnum habebit aliud fundamentum Mt 16,16 et instituetur cum sacrificio viæ Christi Mt 20,28.

Institutio Novi Fœderis narratur in recensione sic dicta petrina (Mt Mc) et paulina (Lc Paulus). Cfr Mt 26,28 ; Mc 14,24 ; Lc 22,20 ; 1 Cor 11,25. Differentia inter utramque est in eo quod in recensione paulina adhibetur vebum *novum* (Testamentum) et in petrina non appareat (in textu græco). Utraque ponit «funditur» in præsenti. Sensus in utraque recensione est idem : Sanguis Christi qui funditur ad obtinendam remissionem peccatorum hominum, est sanguis Fœderis : in hoc Sanguine pangitur aliquod Fœdus. Hic modus loquendi Apostolis in memoriam revocabat institutionem Fœderis antiqui Ex 24,8 : Sanguis Fœderis quod pepigit Jahweh vobiscum. Ex similitudine et parallelismo inter utrumque actum statim apparet quod sunt duo Testamento inter se correspondentia : Sinaiticum seu vetus et Christi seu *novum*, ut dicunt Lucas et Paulus. Sed apparent magnæ differentiae inter utrumque Fœdus. Ibi Fœdus pangitur inter Deum et Israel : hic loco Israel ponuntur «multi» = omnes homines. Ibi objectum Fœderis erat Lex a Deo data in monte, hic vero agitur de redemptione, de reconciliatione generis humani cum Deo et filiatione divina per gratiam. Jam non est sanguis vitulorum sed Filii Dei. Et hic præcise apparet Vetus illud pactum sinaiticum nihil aliud fuisse nisi umbra, figura, promissio ; nunc vero habetur realitas, impletio, finis prophetiarum et exspectationis. Institutio Eucharistiae est anticipatio mortis Christi in qua ponitur actus juridicus Fœderis. In ipso die Paschæ immolatur Christus reconcilians genus humanum cum Deo et valore destituitur Fœdus antiquum.

Obj. Textus classicus in re est Mt 5,17 et Lc 16,16. Sensus determinari debet ex toto contextu. Pericopa Mt 5,17-48 habet unitatem litterariam ; in vv. 17-20 ponitur assertio generalis et in reliquis

afferuntur applicationes hujus principii. Ex applicationibus apparet Christum afferre spiritum novum, et etiam obligationes novas impo-nere et abrogare indulta ab ipso Deo concessa: ergo pro Christo lex mosaica erat divina, sed non absoluta (cfr Mt 19,8). «Non veni sol-vere, sed adimplere»: quia modo eminentiore, A. Testamentum per-durabit in Nōvo; quatenus erat præfiguratio, debet jam valore des-titui. Omina quæ in eo habebant valorem permanentem, Christus con-servat et perficit in sua nova religione. In Regno Dei erit major ille qui adhibuerit hanc omnimodam et perfectissimam observationem le-gum moralium, non autem cum spiritu pharisaico, sed cum spiritu novo et interno Mt 5,19-20.

*Schol.* Hæc quæstio de obligatorietate legis mosaicæ fuit gravis-sima in Ecclesia primæva. Judæo-christiani servabant Legem mosai-cam potius ob necessitatem aliquam practicam vel observantiam pure civilem. Quæstio erat utrum christiani conversi e gentilitate debe-bant servare legem mosaicam, et responsum quæstioni fuit negativum, quod non intelligitur si Fœdus Antiquum non fuisset jam abrogatum. Judæo-Christiani, ut apparet in Act., servabant sabbatum, sed habe-bant alium diem sacrum, primum hebdomadæ Act 20,7. Servant cir-cumcisionem, sed habent alium ritum initiationis religiosæ, baptis-mum. Leges puritatis civilis debuit servare quicumque cum judæis viveret. Ex ex consuetudine hæc convictio tam alte inhæsit menti judæo-christianorum ut ipse Petrus per visionem debuit doceri ut visitaret Cornelium et eum acciperet in Ecclesia Act 10,15. Tandem Concilium Jerusalem dedit solutionem: gratia Christi salvi sumus, nulla diversitas inter judæos et paganos, conversi e gentibus non sunt obligati ad servandam legem Moysis; unice apponuntur aliquæ clau-sulæ quæ habent valorem practicum et temporarium Act 15. Etiam S. Paulus clarissime habet hanc doctrinam. Epist. ad Gal. et Rom. fuisse docent legem mosaicam abrogatam fuisse et christianis non obli-gare. Duo Testamenta Gal 4,24.

## THEISIS V

**Secundum Evangelia Regnum Dei est universale, id est, pro omnium temporum hominibus destinatum**

NEXUS.—Ex abrogatione Antiqui Fœderis cum Israel initi et vocatione gentilium ad bona messianica sequitur jam universalitas novi Regni.

NOTIONES.—Secundum voluntatem Dei omnes homines debent esse membra Regni Dei his in terris, ut ita in altera vita reddantur participes bonorum cœlestium. Universalitas localis et temporalis, i. e. omnes prorsus homines, sine ullo limite nationali. Homines non tantum sunt invitati, sed etiam obligati, habent jus et obligationem ut fiant cives Regni Dei.

ADVERSARII.—Juxta Eschatologistas, modernistas, protestantes liberales, criticos, etc., Christus nec cogitavit de universalismo. Doctrina christiana pervenit ad ideas universalisticas per evolutionem. Secundum Harnack in doctrina Jesu existunt quidem germina ex quibus postea oriatur Universalismus, sed Christus ipse formaliter non percepit hanc consequentiam; potius habuit ideas particularistas judæorum. Sunt quidem in Evangelii textus explicite universalistici, sed quoniam Evangelia conscripta fuerunt cum doctrina christiana jam facta fuerat universalis, attribuuntur Jesu ideæ temporis posterioris. Ita Harnack. Similiter Pfeiderer, Welhausen, Meyer, Jülicher...

CENSURA.—Doctrina theseos est de fide divina et catholica. Cfr D 2052, 2059, 2060.

Adversarii habent Jesum tamquam purum hominem, subjectum ideis medii ambientis. Jamvero tunc temporis juxta eos inter judæos non erant ideæ universalisticæ, ergo Jesus non potuit docere Universalismum. Ita arguunt; sed falsum est suppositum, nam inter Judæos tempore Christi erant tendentiae universalisticæ, ut ex historia constat. Imprimis, ipsa religio mosaica habebat doctrinas fundamentales, quæ sunt basis hujus Universalismi, e. gr. Monotheismus: Jahweh est unicus Deus totius mundi et omnium populorum; et quamvis hic Deus pepigit foedus peculiare cum populo Israel, ceteri populi non excluduntur ab amore Dei. Similiter idea messianica est universalis: Messias, etsi filius populi Israel, debet afferre salutem pro omnibus. Prophetæ multum efferunt hanc universalitatem. Certe libri apocryphi judæorum tempore Christi videntur oblivisci hanc ideam universalisticam; sed etiam constat tunc temporis, praesertim judæos dispersionis magnum studium habuisse suam religionem dilatandi. Numerus proselytorum erat sat magnus. Ergo exsistebant in Judaismo tendentiae universalisticæ. Nos in probatione examinabimus testimonia Jesu de hac re.

#### PROB.

1. Imprimis, quod tota doctrina Jesu ex sua indole et natura sit universalis est nimis clarum. Regnum Dei ab Ipso prædicatum

non est politicum nec nationale, ut jam probatum est, sua jura et obligationes sunt indolis universalis. Et hoc non potuit non patere ipsi Jesu, etiam abstractione facta suæ filiationis divinæ. In multis parabolis clare continetur hic Universalismus: «ager est mundus», granum sinapis, fermentum, sagena missa in mari. In aliis præscinditur ab indole nationali, ergo sunt omnibus applicabiles: filius prodigus, ovis perdita etc Clarius adhuc innuitur Universalismus in illis quæ indicant reprobationem Israel: Vinitores Mt 21,33, Nuptiae regales Lc 14,22.

2.—*Textus expliciti:*

Venient ab Oriente... Mt 8,11.

Missio universalis Apostolorum Mt 10,16; 24,9.

Auferetur a vobis Regnum Mt 21,43.

In sermone eschatologico Mt 24,14.

In unctione Jesu Bethaniæ facta Mt 26,13.

Judicium universale Mt 25,31.

Mandatum finale Christi Mt 28,18.

Jo plurimum effert Universalismum. Similiter alii Evangelistæ; sed seligimus Mt quia hoc Evangelium conscriptum est pro judæis. Rationalistæ supponunt hoc Evangelium effectum esse ex combinatione duorum fontium, scilicet ex Logiis et ex Mc. Ita in hodierno Mt sunt secundum eos sermones desumpti ex Logiis, combinati cum factis desumptis ex Mc. Sed sive examinemus illas partes quæ dicuntur ex Logiis desumptas sive illas quæ originem ducunt ex Mc (juxta hanc theoriam), in omnibus similiter appetit hæc idea universalis. Sermones: Deus est pater omnium hominum, missio universalis apostolorum, parabolæ Mt 13, Deus vult salvationem omnium hominum Mt 18, Judicium Universale... Similiter in parte narrativa: in temptationibus Jesus rejicit ideam Regni politici et nationalis, vinum novum et utres veteres, rejicit spiritum pharisaicum, promittit se fundaturum novum regnum super novum fundamentum, nuntiat suam mortem in redemptionem pro omnibus Mt 20, 28, reprobationem Israel 21,18, novum fœdus in suo Sanguine 26, 26.

In specie, quoad mandatum finale nulla est ratio dubitandi de genuinitate litteraria textus, nam invenitur in omnibus codicibus et est velut conclusio formalis totius evangelii. Neque quoad genuinitatem historicam afferuntur rationes validæ. Jesus, Messias verus, sed rejectus a populo suo, seligit duodecim Apostolos et promittit cum ipsis regnum aliquod novum fundaturum. Quandonam implevit hanc promissionem, si hic textus non est historicus? Ergo hic textus

exigitur a tota vita Jesu, ipse claudit et complectitur totam doctrinam Christi de sua Persona et opere.

*Obj.* Non sum missus nisi ad oves... Mt 15,24. Sine prius saturari filios Mc 7,27. R<sup>g</sup> Jesus agnoscit hic prærogativas populi Israel: inter vocatos ad bona messianica ipsi sunt primi. Etiam post mortem Christi hunc ordinem servaverunt Apostoli Act 13,46.

## TRACTATUS II

### DE CONSTITUTIONE ECCLESIAE

Ex præcedenti tractatu De Regno Dei constat jam indeoles socialis et externa hujus Regni Dei. De hac indole sociali debemus nunc pressius loqui. Regnum Dei consideratum tamquam societas religiosa, en objectum hujus novi tractatus. Jamvero, omnis societas habet aliquam formam determinatam, aliquam organisationem peculiarem, sibi propriam. In omni societate datur auctoritas seu potestas socialis ad defendenda jura societatis et ad dirigendam cooperationem membrorum ut finis socialis obtineatur. Hinc oritur quædam inæqualitas jurium, nam datur subordinatio quorundam sub aliis. Igitur «*constitutio*» est forma socialis concreta, forma organisationis, complexus jurium et obligationum socialium in hac societate religiosa. Origo hujus constitutionis derivatur ex ipso Christo qui instituit hanc societatem et præcripsit ejus formam organisationis.

In tractatu præcedenti locuti sumus De Regno Dei; nunc sermo est De Ecclesia. Quænan relatio viget inter Regnum Dei et Ecclesiam? Loisy scripsit: Jesus nuntiabat Regnum et loco ejus advenit Ecclesia. Eschatologistæ, Modernistæ etc asserunt Christum nec cogitasse quidem de Ecclesia fundanda et hanc ortam esse naturaliter ex evolutione. Sed ex iis quæ jam vidimus aperte constat Ecclesiam esse Regnum Dei his terris exsistens, stadium præsens Regni Dei. Non omni sub aspectu æquiperantur hæc duo verba.

In vita publica Jesu distinguuntur duæ periodi. In priori Jesus prædicat Regnum Dei et describit ejus indolem et qualitates, colligit discipulos et ex iis seligit Apostolos etc Deinde in altera periodo, quoniam Israel non agnovit Jesum tamquam Messiam, loquitur de instituendo hoc Regno super novum fundamentum, nempe super Petrum Mt 16,18; ipse Jesus hoc loco æquiparat Regnum Dei et Ecclesiam. Certe locutio Regnum Dei habet majorem extensionem quam verbum Ecclesia. Ecclesia est stadium terrenum, transitorium Regni Dei.

Proinde quæstio solvenda in hoc tractatu est hæc: qualis debeat esse constitutio Ecclesiæ juxta intentionem et voluntatem Christi? Et hujusmodi quæstio non potest solvi nisi via historica. Consulendi sunt fontes historici vitæ Christi ut cognoscamus intentionem et voluntatem Christi de Ecclesia; sed quoniam multum juvat ad voluntatem Christi melius cognoscedam, investigabimus etiam constitutionem Ecclesiæ primævæ tempore Apostolorum et tempore post-apostolico.

Igitur tractatus complectitur tres sectiones: 1.<sup>a</sup> Quomodo seu qua forma organisationis instituerit Christus Ecclesiam suam (th. I-V), 2.<sup>a</sup> quam constitutionem habuerit Ecclesia tempore Apostolorum (th. VI-VII), 3.<sup>a</sup>, id. tempore post-apostolico (th. VIII-XI).

## THESIS I

**Christus collegit discipulos, e quibus elegit duodecim, qui ut tales formarent aliquod collegium et essent sui legati et apostoli**

NEXUS.—Novum Foedus juridice instituitur morte Christi. Ecclesia vero tamquam societas organisata incipit die Pentecostes. Igitur ante mortem Christi non exsistebat Ecclesia; sed jam Christus delineavit ejus cōstitutionem, præparavit organa etc. Hunc stadium inchoativum et initiale debemus hic considerare, inquirendo ordine historico et chronologico in totum modum sese gerendi Christi, scilicet colligit discipulos, seligit duodecim, his duodecim confert potestatem socialem in Ecclesia, uni tribuit Primum jurisdictionis supra Ecclesiam universam... Insuper præ oculis habenda est hæc consideratio: in hoc tractatu unice agitur de potestate sociali seu regendi Apostolorum; Apostoli vero habuerunt insuper, præter hanc, duas alias potestates datas a Christo, scilicet potestatem docendi et sanctificandi: de iis agitur respective in tractatu De Magisterio et De Sacramentis. Sed nunc cum exponimus rationem integrum Apostolatus mentionem facimus de tribus.

NOTIONES.—«*Discipuli*» intelliguntur tales quales solebant habere magistri religiosi illius temporis, id est, qui non tantum accipiebant a suo magistro instructionem theoreticam sed insuper sequebantur eum, agebant vitam cum ipso, ordinabant totam vitæ rationem juxta præcepta et vivendi rationem sui magistri. Ita solebant esse discipuli rabbinorum, ita discipuli Baptistarum, ita discipuli Christi.

*Apostolus* = missus, id est, nuntius vel legatus. Legati Christi, qui instructi ab ipso quibusdam potestatibus, receperunt munus aliquod sociale in Ecclesia.

Nota differentiam quae intercedit inter «Apostolum» et «unum e Duodecim». Hæc ultima locutio dicit respectum ad Collegium Duodecim; Apostolus vero est nomen officii, legationis seu missionis, et ideo aliquis potest esse Apostolus et non esse e Duodecim, ut contigit cum S. Paulo. Non pertinet ad Collegium Duodecim, sed est Apostolus eodem sensu ac Duodecim.

Duodecim Apostoli constituunt aliquod *Collegium*, quatenus uniuertur inter se vinculo aliquo sociali et distinguuntur et separantur a ceteris discipulis. Auctor talis vinculi et talis Collegii est ipse Christus qui vocans eos et tribuens eis finem specialem, instituit inter eos hanc veram societatem.

**ADVERSARII.**—Institutio Duodecim Apostolorum a Christo negatur a Protestantibus liberalibus. Catalogi duodecim Apostolorum inveniuntur quidem in Novo Testamento et de genuinitate litteraria horum textuum nulla est ratio dubitandi; sed negatur a multis genuinitas historica. Jesus non instituit Collegium duodecim Apostolorum, sed tale Collegium est figmentum primævæ Ecclesiæ et Christi auctoritati postea attributum. Ergo tale Collegium revera numquam exstitit. Ita Harnack, Weiss, Schütz, Soden, Monnier... Juxta sua præjudicia naturalistica quibus tribuunt Christo ideas et doctrinas subjectivas de religione etc., videtur eis valde improbabile quod Christus instituerit aliquod Collegium cum quadam missione peculiari (nam omnis qui expertus est similem experientiam religiosam ac Jesus debet esse apostolus). Ergo electio et missio duodecim a Christo est fictione absque fundamento historico. Ob defectum traditionis historicæ inveniuntur contradictiones tum quoad tempus electionis tum quoad nomina Apostolorum.

**CENSURA.**—De fide divina et catholica, quia explicitè continetur in Scriptura et docetur a Magisterio. Electio et missio Apostolorum D 1821, Satis cognitum (Dieckmann 972, 979), Mystici Corporis etc.

Thesis habet tres partes: 1.<sup>a</sup> Jesus collegit discipulos, 2.<sup>a</sup> ex illis elegit duodecim cum quibus efformavit aliquod Collegium, 3.<sup>a</sup> finalitas hujus Collegii.

**PROB. I PARS:** *Jesus collegit discipulos.*

Constat ex Evangeliiis Jesum habuisse discipulos qui continenter vivebant cum ipso et sequebantur eum Mt 8,19; Lc 10,1. Post sermonem eucharisticum multi ex iis reliquerunt eum Jo 6,67. Recole quæstiones inter discipulos Jesu, Joannis Bapt. et pharisæorum Mc

2,18. Jesus docebat discipulos suos rationem vitæ diversam a normis aliorum. Distinctio inter discipulos et populum appareat in multis locis Mt 13,10 ; 14,19 ; 15,36 ; Lc 9,49 etc. Ipse Jesus vocavit et invitavit aliquos ad discipulatum Jo 1,35 ss ; Mt 4,18. Jesus considerat hos discipulos veluti familiam suam Mt 12,46 ; defendit eos ab impugnationibus hostium Mt 9,14 ; 12,1 ; 15,1 ; Mc 9,14. Jesus erat pro illis non tantum Magister, sed etiam norma vitæ, sequebantur eum et vitam agebant cum ipso. Habemus jam hic germina cujusdam societatis.

PROB. II PARS: *Institutio Collegii 12 Apostolorum.*

Mc et Lc narrant ipsam electionem, Mt et Jo eam supponunt.

Mc 3,13 ss (in græco): «Et vocavit ad se quos voluit Ipse et venerunt ad eum. Ita constituit Duodecim ad hoc ut essent cum Ipso et ut mitteret eos prædicare et ut haberent potestatem ejiciendi dæmonia. Ita instituit Duodecim». Et dat nomina eorum.

Lc 6,12 ss Fuit tota nocte orans in monte et cum dies factus esset vocat discipulos et ex ipsis elegit duodecim (quos et Apostolos nominavit): sequitur catalogus. Cfr etiam 9,1.

Mt 10,1 ss supponit factum electionis et numerum duodenarium, quamvis ipsam electionem non narret nec præbeat catalogum nominum. Cfr Jo 6,71.2. Nos vos me elegistis, sed ego elegi vos, etc.

Ergo electio immediata et personalis ab ipso Christo testata est ab omnibus, sicut et proditio Judæ, cum esset unus e duodecim, factum quod nullo modo narrarent si non fuisset historicum. Hæc omnia notissima erant in christianitate primitiva. Præterea multæ instructiones Jesu diriguntur præcise ad hos duodecim: instructio in missione prævia Mt 10, fortasse etiam explicatio parabolæ Mt 13,16; explicatio puritatis leviticæ Mt 15,15; de fermento pharisæorum Mt 16,8; mysterium suæ filiationis divinæ, Mt 16,13; instructio pastoralis Mt 18-20 etc Hæc vox «Duodecim» adhibetur sensu socii ab omnibus evangelistis sæpiissime, et aliquoties dicunt «Dodeka» quamvis in illa occasione concreta non adessent omnes duodecim (Jo 20,24; 1 Cor 15,5).

Catalogi Apostolorum habentur Mt 10,1 ss; Mc 3,13 ss; Lc 6,12 ss; Act 1,13. Quoad diversitatem nominum hæc nota: Simon Chananæus idem est ac Simon Zelotes. Thaddæus idem videtur esse ac Judas Jacobi; hunc Thaddæum aliqui codices vocant Lebæum (cfr Mt 10,3). Rationem hujus diversitatis nominum nescimus, sed ex hoc minime potest pendere fides quam hæc nomina mereantur nec in dubium vocari potest veritas historica Collegii.

Similiter adduci potest consensus totius Ecclesiæ primævæ : 1 Cor 15,5 ; Act ; Ap 21,12 ss ; Didache ; Pastor Hermæ, etc.

PROB. III PARS : *De fine hujus Collegii.*

Auctoritas singularis qua Duodecim gaudebant in Ecclesia primæva originem dicit ex munere quod Christus ipse tradidit eis. Sunt «Apostoli», id est Legati Christi, electi et edocti immediate ab ipso et missi ad hoc ut continuarent eamdem missionem quam habuit Christus. Sunt igitur successores Christi in execuzione operis pro cuius impletione descendérat de cœlis. Vita et lux quam ipse attulit nobis, concreditæ sunt his ut hi vicissim, tamquam missi a Christo, hominibus impertirent salutem ab ipso datam. Sed Apostoli non sunt meri nuntii vel legati, insuper instructi sunt a Christo quibusdam potestatibus, gerunt munus cui annexa sunt aliqua jura.

Christus, tamquam Legatus Dei attulit legationem universalem pro omnibus omnium temporum hominibus. Sed ad hoc ut posset implere hanc missionem universalem Christus egebat sociis et coadjutoribus, qui, instructi sua auctoritate et nomine suo prædicarent evangelium et adducerent homines ad Jesum. Et Jesus, qui suam mortem ut proximam prævidebat Mt 16,21, debuit hoc modo operi suo prævidere.

Ipsum nomen «apostoli» dicit jam finalitatem Collegii. Lc 6,13 diserte testatur Christum ipsum imposuisse hoc nomen (nomen est grecum, sed Christus adhibuit absque dubio verbum aramaicum æquivalens). Expressio «apostolus» vel idea æquivalens «mittere» est sat familiaris in evangeliis. Ceteroquin Lc et in genere ecclesiæ paulinæ præferunt vocem «Apostoli», Mt et Mc vero magis utuntur voce «Duodecim». Cf<sup>r</sup> Lc 11,49 — Mt 23,34.

Finis ob quem Christus elegit duodecim Apostolos indicatur Mc 3,13 : ad hoc ut intimius uniti essent Christo et ita sese præpararent ad opus quod volebat ipsis committere. Hoc opus ultimum et proprium est esse «missi» Christi, qui ejus opus continentur. Sicut Christus est Legatus Dei, ita Ipse instituit vicissim legatos suos, quibus tradidit suam ipsam missionem. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos Jo 20,21 ; Mt 10,40 ; Lc 10,16. Missio propria continetur in illis sollemnibus verbis Mt 28,18. Ergo haec est notio authentica et conceptus proprius apostolatus. Missio Christi transiit ad Duodecim per voluntatem Ipsiū. Tam missio sacerdotalis, quam doctrinalis et similiter potestas socialis sive auctoritas.

SCHOL. *De apostolatu judaico.*—Post eversionem Status Judæi rabbini gubernabant communitates judaicas ; unus inter rabbinos vices gerebat Summi Sacerdotis (vocabatur ethnarcha) et hic habe-

bat apostolos seu legatos suos ad visitandas synagogas diasporæ et tributum percipiendum. Ante sæc. IV non habentur **testimonia exsistentiæ** horum apostolorum. Certe etiam tempore Christi erant homines deputati ad colligendum tributum Templi, sed nec vocabantur nomine Apostoli nec eorum munus habet aliquid commune cum apostolatu christiano. Vox Apostoli in hoc sensu legati vel missi videtur esse originis christiani, pertinet nimirum ad complexum vocum novarum vel novo sensu adhibitarum ex adventu religionis Christianæ.

## THEISIS II

### S. Paulus eundem apostolatum accepit ac Duodecim

NEXUS.—Præter duodecim Apostolos in fontibus apparent etiam tamquam Apostoli Paulus et Barnabas, præsertim vero Paulus. Propterea instituimus quæstionem de Pauli apostolatu. Fontes pro hac re sunt Act et epistolæ paulinæ, imprimis Gal, 1 et 2 Cor, Rom, quarum genuinitas ab omnibus agnoscitur.

NOTIONES.—«Eundem» = æqualitas quoad essentiam apostolatus; Paulus accepit idem munus ac duodecim, sed non est e Collegio eorum. Habebat eamdem dignitatem ac duodecim, erat Apostolus sensu stricto et proprio, non sicut prædicatores vel missionarii qui vocantur apostoli sensu lato et impropprio. Ut jam antea dictum est, non plane coincidit conceptus Apostoli cum conceptu «unus e Duodecim». S. Paulus est Apostolus, non autem unus e Duodecim.

ADVERSARII.—Rationalistæ negant apostolatum S. Pauli, ut pote in visionibus fundatum. Immo ex eo quod Paulus fundet apostolatum suum in visione damascena (quæ pro ipsis non fuit nisi aliquid subjectivum, experientia religiosa mere interna) ulterius progredientes sumunt ex hoc occasionem ut negent veritatem historicam missionis duodecim Apostolorum.

CENSURA.—De fide divina et catholica, quia formaliter et explicite continetur in Scriptura et docetur a Magisterio universalis Ecclesiæ. Quod Paulus non fuerit caput Ecclesiæ sicut Petrus, de fide divina definita, D 1091, 163.

### PROBATIO.

#### I. *Ex testimonio Actuum.*

Liber Act continet in primo capite rationem Apostolatus, scilicet indicat munus et missionem duodecim Apostolorum, dat catalogum

eorum et narrat electionem Matthiae loco proditoris Judæ 1,15 ss. Inter conditiones eligendorum, Petrus præcipit ut duodecimus Apostolus quæratur inter illos qui fuerant testes omnium factorum vitæ publicæ Jesu. Apostolatus igitur est aliquod munus (kleros) et habet tamquam finem prædicare Jesum: esse testes (martyres) qui testentur vitam, dicta et facta, messianitatem et divinitatem Jesu. Præsertim vero debent esse testes Resurrecionis ejus, nam hic continentur cetera omnia.

Quoad Barnabam et Paulum, Lucas considerat eos tamquam veri nominis Apostolos, pariter ac duodecim 14,4; 14,13. De Barnabæ vocatione immediata a Christo ad munus apostolicum nihil scimus; Pauli vero vocatio describitur tribus locis 9,1 ss; 22,6 ss; 26,12 ss (cfr præsertim 9,15; 22,14-15. 21; 26,16). Ergo Paulus est Apostolus quia *immediate* ab ipso Christo fuit vocatus et missus ut prædicaret Jesum. Quoad discrepanias et contradictiones quas adversarii volunt videre in triplici narratione, facile solvuntur (cfr Dieckmann, 299).

## II. *Ex testimonio ipsius Pauli.*

Paulus neminem agnoscit tamquam Apostolum sensu stricto nisi Duodecim, Barnabam et seipsum. Hoc nomine Apostoli vocat etiam illos qui ab ecclesiis electi et deputati erant ut deferrent eleemosynas ad Jerusalem: «apostoli eclesiarum» 2 Cor 8,23; Epafroditus est «apostolus Philippensium», id est, nomine Philippensium venit vide-re Paulum, Phil 2,25. Jam patet hunc sensum esse omnino diversum. Novit præterea Paulus apostolos sensu latiore, id est, sensu *missionariorum*? Videtur quod non. Ad hos designandos adhibet vocem «evangelistæ» Eph 4,11.

Nullum dubium est quod Paulus tribuit sibi apostolatum sensu pleno ac technico. Fere omnes suas epistolas incipit cum hoc titulo. Origo talis apostolatus ponit in voluntate Dei, loquitur de missione divina immediata. Accepit eumdem apostolatum ac duodecim. Clare profitetur nullo sub respectu se inferiorem esse duodecim. 1 Cor 9,1 ss; 15,7 ss; Gal 2, 7 ss In omnibus his locis evolvit eumdem conceptum Apostolatus: se vocatum esse a Christo immediate; opus evangelicum gessisse cum fructu seu cum signis divinæ electionis; se esse æqualem duodecim, quos suos antecessores vocat. Habet et ipse missionem universalem, quamvis portio sua peculiaris sit inter gentes Rom 11,13; 15,15. Non ædificavit super alienum fundamen-tum, sed ipse jecit fundamenta suarum eclesiarum, sicut decet apostolum Jesu Christi Rom 15,20; 1 Cor 3,6 ss. Ergo Paulus vult se ha-beri tamquam Apostolus sensu technico, pariter ac Duodecim, et rati-o est vocatio Dei immediata, missio ab ipso Christo qui ipsum cons-

titui; tamquam testem suum. Paulus optime distinguit suum apostolatum a munere illorum qui simul cum ipso incumbunt prædicationi evangelii. Præter duodecim, Barnabam et seipsum, nullum alium vocat apostolum. «Paulus Apostolus et Sosthenes frater» 1 Cor 1,1; Col 1,1.

Adversarii Pauli judaizantes, ad hoc ut minuerent auctoritatem doctrinæ Pauli, negabant ejus dignitatem apostolicam. Paulus non est Apostolus sicut Duodecim, dicebant, ergo doctrina Pauli non est tuta, sed falsa, nam Duodecim docent contrarium. Contra hos defendit Paulus suum apostolatum: talis apostolatus probatur ex vocatione immediata Christi ad hoc munus, ex fructibus et signis quibus Deus ostendit legitimatem hujus Apostolatus, et ex agnitione Duodecim, qui expresse agnoverunt Apostolatum Pauli (Cfr Gal, 1 et 2 Cor, Rom). Omnis legatio debet probari rationibus vel argumentis; nullus habet jus ad exigendam fidem hominum nisi prius probaverit legitimatem suæ missionis; ita fecit ipse Christus. Etiam Paulus debet probare ipsum accepisse eamdem missionem ac duodecim. Et ad hoc probandum Paulus provocat ad fructus uberrimos sui apostolatus et ad signa divina quæ comitabantur Pauli prædicationem. His signis pernoti Duodecim agnoverunt Pauli apostolatum Gal 2,7. Et hæc agnitus apostolatus Pauli est unanimis inter scriptores Ecclesiæ primævæ. Clemens Romanus, Ignatius Martyr, Polycarpus... omnes habent Paulum ut apostolum sensu speciali, pleno, proprio, technico.

*Scholion.* Elementa essentialia apostolatus sunt proinde hæc: 1) missio divina, 2) immediata, 3) ad opus Christi peragendum et perficiendum. Numerus duodenarius non pertinet ad essentiam. Conditio illa posita a Petro, scilicet, quod eligendus fuerit comes et testis totius vitæ publicæ Jesu erat quidem essentialis ad hoc ut quis cooperaretur in membrum Collegii Duodecim, nam reliqui omnes fuerant comites Jesu in tota sua vita publica, sed non pertinet ad essentiam munera apostolici. Jam diximus non plane coincidere conceptum Apostoli cum conceptu «unus e Duodecim».

### THESIS III

#### Christus dedit duodecim Apostolis suis potestatem socialem et hierarchicam

NEXUS. — Vidimus Christum instituisse Collegium duodecim Apostolorum; egimus etiam de finalitate hujus Collegii. Nunc debeamus examinare quas potestates concretas et determinatas tribuerit

Christus Apostolis. Quamvis hæ potestates sunt tres, nempe potestas sanctificandi, docendi et regendi, hic unice de hac ultima debemus loqui.

NOTIONES.—*Potestas socialis*, auctoritas, potestas regendi = jus dirigendi et adigendi alios ut ad aliquem finem conspirent. Consideratur religio prout est organisata a Christo in forma alicujus societatis religiosæ. Jamvero in omni societate debet exsistere hæc auctoritas seu potestas socialis, nam societas nihil aliud est quam conjunctio plurium in communem aliquem finem actibus suis conspirantium; et in omni societate necessaria est aliqua auctoritas, quæ habeat verum jus obligandi membra societatis ut actibus suis cooperentur ad obtainendum bonum seu finem socialem. Auctoritas in societate perfecta vocatur *jurisdictionis*, et partes jurisdictionis sunt potestas legislatoria, administratoria et judicialis.

«*Hierarchica*» (hierarchia = principatus sacer) = forma regiminis in qua auctoritas exercetur a persona sacra. Id est, munus institutum est jure divino et per voluntatem Dei aliquibus hominibus commissum. Deus qui per voluntatem suam positivam condidit tales societates, committit potestatem in hac societate quibusdam personis. Ita oritur quædam inæqualitas juris socialis in Ecclesia Christi, nam alii sunt præpositi, alii vero subditi. In hierarchia possunt etiam dari gradus institutionis humanæ, sed saltem gradus supremus debet esse ex institutione immediate divina. Illi qui ad hanc hierarchiam eliguntur non eliguntur ex populi vel potestatis sacerularis consensu, sed supremus pontificatus, statim ac impletur condicio electionis legitimæ et acceptationis, fit ex jure divino; propterea gradus supremus soli Deo tenetur rationem reddere et gradus inferiores gradu supremitum, numquam vero populo vel potestati sacerulari in his quæ resipiunt regimen religiosum. Nota differentiam inter hanc formam regiminis et formam democraticam.

ADVERSARI.—Protestantes conservativi dicunt Christum dedisse Ecclesiæ organisationem democraticam; id est Christus tradidit auctoritatem summæ fidelium et hi vicissim tradunt ministris; ita Apostoli acceperunt potestatem ab Ecclesia. Protestantes liberales negant Jesum voluisse fundare ullam Ecclesiam seu societatem religiosam, ergo nulla potestas data a Christo admittitur ab eis.

CENSURA.—De fide divina definita D 960, 966, 1827, 2145-3.<sup>o</sup>. Sententia democratica damnatur ut hæretica, D 1502-3. Triplex potestas docetur D 1958 et multoties in Encyclica Mystici Corporis.

## PROBATIO.

1.<sup>o</sup> Ex Mt 18,18. Maxima pars capit<sup>i</sup>s Mt 18 est instructio quædam pastoralis Jesu ad apostolos consideratos tamquam pastores gregis fidelium instructos ab ipso Christo auctoritate sociali erga oves. Genuinitas textus negatur a Protestantibus liberalibus ex rationibus p<sup>re</sup>dictis et subjectivis, nam juxta ipsos Christus non potuit adhibere vocem «Ecclesia», quia nec cogitavit de Ecclesia aliqua fundanda. Sed probata falsitate talis theoriæ, non est cur immoremur in probanda genuinitate hujus pericopæ. Contextus: totum caput usque ad v. 20 est instructio pastoralis Jesu ad Apostolos, in qua vult docere relationes quæ debent exsistere inter pastores et oves, id est, quomodo debeant sese gerere apostoli in suis relationibus cum subditis seu membris Ecclesiæ. Occasio fuit interrogatio apostolorum: quis est major in regno cœlorum. Jesus rejicit spiritum superbiæ qui apparet in disputatione apostolorum, sed agnoscit existentiam munieris pastoralis; hoc munus debet impleri spiritu humilitatis et exemplar ponit pueri. Cum tali spiritu debet exerceri munus pastorale. Subjectum vero munieris pastoralis adhibere debet curam uniuscujusque fidelis (pusilli seu credentes, fideles), servare eos a scandalis, cum errant quærere eos et reducere, sicut facit pastor cum ove perdita, quia non est voluntas apud Patrem ut pereat unus de pusillis istis. Deinde agitur de cura totius societatis; potest accidere ut peccatum alicujus ovis constituat verum periculum corruptionis pro ceteris fidelibus. Tunc primo pastor corrigat sontem fraterno modo, deinde modo quasi judiciali, et tandem, exhaustis omnibus mediis, invocetur auctoritas socialis: dic Ecclesiæ, et scindatur a communitate fidelium ne scandalo noceat aliis. Totus hic modus loquendi supponit asseclas Christi efformare aliquam societatem seu cœtum et egere cura pastorali. Et in hoc contextu occurrit textus: Quæcumque alligaveritis... Sensus est: Omnia media quæ juxta normas caritatis et justitiæ adhibueritis in impletione vestri munieris pastoralis erunt approbata a Deo (Cfr Lambert, Lier et delier: la expresión de la totalidad por la oposición de los contrarios). Ergo supponitur vera potestas socialis, auctoritas data a Christo (ergo hierarchice) erga gregem Christi.

2.<sup>o</sup> Ex Mt 28,18. Missio definitiva, mandatum ex quo Ecclesia cum triplici sua potestate orta est. «Mazetéusate panta ta ezne» = facite discipulas omnes gentes = potestas socialis seu regendi.

3.<sup>o</sup> Ex eo quod negata hac auctoritate pervenitur ad eversionem doctrinæ et frustratur finis supremus seu sanctificatorius. Hoc constat ex historia. Ex quo s<sup>ecundu</sup>m. XVI Protestantes negaverunt auctorita-

tem hierarchicam, secuta es eversio totalis : dogmata, sacramenta, omnia conciderunt. Hæc omnia necessario sequuntur ex rejecta Ecclesiæ auctoritate hierarchica.

## THESIS IV

### Christus instituit societatem visibilem, hierarchice constitutam, quam vocavit Ecclesiam suam

NEXUS.—Hæc thesis scopum habet resumere ea quæ in præcedentibus dicta sunt et attentionem dirigere ad objectum principale totius tractatus, nempe ad Ecclesiam, tamquam a Christo institutam.

NOTIONES.—Unica notio explicanda est quæ sese refert ad indolem *visibilem* Ecclesiæ. Omnis societas humana non potest non esse visibilis. Visibilitas alicujus societatis dicitur materialis vel formalis. *Materialis* est quatenus homines qui constituunt aliquid societatem sunt ipsi visibles. Visibilitas vero *formalis* supponit ipsam societatem prout talem esse visibilem. Id est, finis societatis debet esse aliquo modo visibilis et hic finis debet intendi mediis socialibus et externis ; ipsa unio membrorum et conspiratio in finem debet esse visibilis. Membra societatis ut talia membra debent posse cognosci per certa signa externa. Etiam auctoritas debet esse visibilis. Exsistere debet quædam inæqualitas juris socialis. Tamen non omnia in Ecclesia sunt visibilia : sanctificatio interna, gratia, justificatio etc non sunt visibilia. Nota etiam non esse contradictionem in eo quod aliqua societas sit simul *visibilis* et *occulta*.

Jam patet quod Ecclesia dicitur visibilis visibilitate formalis. Igitur Christus non tantum voluit unionem mere internam eorum qui Ipsum sequuntur, sed cœtum asseclarum qui certis personis subjecti prosequantur fines religiosos modo a Christo præfixo. Ita Ecclesiam suam instituit.

ADVERSARII.—Protestantes, cum sua theoria de Ecclesia invisibili. Ii admittunt tantum visibilitatem Ecclesiæ materialem, non vero formalem, qualem competit omni societati humanæ formaliter ut tali.

CENSURA.—Quod Christus instituerit Ecclesiam in forma societatis est de fide divina et catholica, nempe dogma fidei, etsi non explicite et sollemniter definitum ; parabatur definitio in Vat. Cfr D 1821 «in qua veluti in domo Dei...» ; D 1823 agitur de potestate ju-

risdictionis: hæc non datur nisi in societate perfecta, ergo... D 1959; 2052.—Quod Christus ipse imposuerit huic societati nomen Ecclesiæ, certum.

## PROBATIO.

I PARS: *Quod Christus instituit Ecclesiam ut societatem.*

*Ex Mt 16,18*, præsertim considerando hunc locum in luce totius Evangelii. Evangelium Mt habet tamquam scopum demonstrare Jesum a Nazareth esse Messiam a prophetis vaticinatum et a Judæis exspectatum et proinde Ipsum exstitisse fundatorem Regni Dei. Sed Israël signa temporum non potuit cognoscere, Messiam non agnovit. Tunc Regnum Messianicum fundatum est super novum fundamentum: hoc est Ecclesia, super Petrum fundata. Ut hæc melius apparet, Matthæus ordinavit suum evangelium in duabus partibus. Prima pars (Mt 4,17-16,12) potest intitulari «De Regno Dei»: in hac Jesus prædicat Regnum Dei, quod Regnum Dei audientes non poterant intelligere nisi ad modum communitatis sacræ et religiosæ, ad instar Veteris Fœderis. Pars altera (Mt 16,21 usque ad finem) potest cognominari «De Ecclesia». In hac parte continentur præsertim instructiones pastorales ad Apostolos, traditio potestatis hierarchicæ ad eos etc Medium inter utramque partem occupat pericopa hæc celebris Mt 16,13-20, tamquam culmen totius Evangelii: quia Israël non agnovit Jesum tamquam Messiam, hic exstruet suam Ecclesiam seu Regnum Dei super novum fundamentum, id est, super Petrum. Erit cœtus novus, super fundamentum novum, communitas seu societas ad instar veteris Israël, in qua Petrus exercebit auctoritatem supremam tamquam Vicarius ipsius Christi.

Merito jam ab antiquo Evangelium Mt vocatum est «evangelium catholicum seu ecclesiasticum». Plurina enim et præclara habet de Ecclesiæ constitutione.

II PARS: *Quod Christus ipse vocaverit hanc suam societatem nomine Ecclesiæ.*

Christus adhibuit varia nomina ad designandam societatem ab Ipso fundandam: Regnum, grex, sagena, convivium nuptiale, templum, domus, familia... Hic consideramus nomen Ecclesiæ, quatenus optime illustrat indolem socialem visibilem hujus Regni Christi.

Vox ecclesia in usu profano græcorum adhibebatur ad designandam convocationem populi per præconem et congregationem ad comitia in quibus agebatur de rebus publicis civitatis liberæ. Unice cives convocabantur ut suis juribus supremis uterentur. Cfr Act 19,32

«ecclesia confusa» seu tumultuosa dicitur in oppositione ad ecclesiam legitima auctoritate convocatam.

In lingua hebraica exsistit vox *q̄hal* et in aramaica, qua Jesus utebatur, *qehala*. Sensus est cōetus, conventus, et usus vocis fere semper restringitur ad designandum cōtum sacrum Israel. In versione græca Veteris Testamenti hæc vox vertitur vocibus «ecclesia» et «synagoguē».

In usu christiano jam a prima antiquitate adhibetur nomen Ecclesia tamquam nomen proprium societatis religiosæ christianorum. Hoc nomen habet auctorem ipsum Christum, quamvis eschatologistæ et Protestantes liberales ob sua præjudicia et theorias præconceptas renuant hoc admittere. Et sane, si Evangelium ponit hoc nomen in ore ipsius Christi, hæc attributio non potest considerari ut falsa, nisi adsint rationes certæ in contrarium, quæ in casu omnino desunt. E contra jam vidimus Jesum voluisse fundare aliquam societatem cum suis asseclis; et hoc supposito, consentaneum erat imponere nomen huic societati et tale nomen quod proderet et relationem cum Antiquo Fœdere et in dolem religiosam simul et externam et finem societatis universalem. Jamvero nullum nomen aptius quam Ecclesia. Nomen quod pro Judæis apparebat usu Scripturarum consecratum. Præterea non intelligitur quod primi christiani jam ab initio tali cum constantia et tenacitate retinerent et adhiberent hanc vocem ad designandum cōtum christianorum in oppositione ad synagogam Judæorum, si revera non haberent persuasionem hoc nomen ab ipso Christo ortum ducere. Et Judæi, constricti usu constanti christianorum, debuerunt eis relinquere hoc nomen et adhibere unice nomen synagogæ ad designandos suos cōetus judaicos.

## THESIS V

### Christus Dominus Primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam Petro Apostolo promisit et contulit

NEXUS.—Ex hucusque dictis constat Christum tradidisse Apostolis potestatem socialem in Ecclesia. Nunc vero quæritur utrum omnes Apostoli habeant parem auctoritatem aut e contra aliquis inter eos gaudeat majori auctoritate. Aliis verbis, utrum auctoritas suprema in Ecclesia sit oligarchica aut monarchica.

NOTIONES.—*Primatus*: vi vocis, esse primus, primum locum habere. *Primatus honoris* importat aliquam præcedentiam, sed non

fundat veram inæqualitatem juris socialis. Primatus *auctoritatis* seu *jurisdictionis* denotat veram potestatem moralem seu jus. Suprema potestas in universam Ecclesiam est penes unum hominem, unus individuus tenet regimen supremum Ecclesiæ Universalis. Ergo est forma regiminis monarchica. Et insimul hierarchica: nam fideles neque in institutione munericæ neque in collatione talis potestatis Petro habuerunt partem aliquam. Ideo Petrus et successores uni Deo tenentur rationem reddere exercitii suæ potestatis.

ADVERSARII. — 1) Theologi Orientales inde a sæc. XV. 2) Marsilius Patavinus, Hus, Wiclef (D 496, 633, 673). 3) Protestantes conservativi. 4) Jansenistæ, Febroniani, Pistorienses (D 1091, 1500, 1503), Conciliaristæ, etc. 5) Protestantes liberales, rationalistæ et modernistæ, qui alia via incedunt, nempe, negant genuinitatem vel litterariam vel historicam textuum ex quibus probatio desumitur. Qui negant genuinitatem litterariam asserunt textum Mt 16,18 esse interpollatum: ita Grill (1893), Resch (1904), Soltan (1916), Harnack (1918). Juxta hos hic textus interpollatus fuit ab episcopis Romanis in fine sæc. II vel paulo antea ut fundamentum biblicum astrueretur ad eorum prætensionem primatus universalis. Alii concedunt genuinitatem litterariam, negant vero historicam; id est, Christus non protulit hæc verba, sed quoniam de facto partes Petri in fundatione et vita primitivæ Ecclesiæ fuerunt maximæ, fideles finixerunt hunc dialogum inter Christum et Petrum ad modum parabolæ vel allegoriæ ad exprimendam hanc præminentiam realem Petri in primæva Ecclesia, et auctor Evangelii inseruit operi suo hanc narrationem ut historicam. Ita Bultmann et alii. Modus procedendi horum optime describitur in D 2096 ss.

CENSURA.—De fide divina et catholica definita D 1823. Cfr etiam D 332, 351, 570 c, 694.

#### PROBATIO.

1.<sup>o</sup> *Promissio Primatus: ex Mt 16,13-20.*

Breviter probabimus: a) genuinitatem litterariam, et b) genuinitatem historicam textus. Deinde c) determinabimus sensum et probabimus in ipso jurisdictionis primatum contineri.

a) *De genuinitate litteraria loci.* Principium: si omnes codices unanimiter et constanter exhibent aliquem textum, præsumptio est pro genuinitate, et exceptio erit probanda. Jamvero in nostro casu omnes codices exhibent hunc locum; insuper per citationes et testimonia pervenitur usque ad an. 100, et rationes quæ afferuntur ad probandam interpolationem omni vi destitutæ sunt. E contra probabi-

mus impossibilitatem interpolationis et videbimus hunc locum quodam modo postulari ex indole et conexione totius evangelii Mt.

Omnes codices, versiones antiquissimæ latina et syriaca, D̄iatessaron Tatiani, evangelium secundum Hebraeos, citationes et allusiones scriptorum... probant exsistentiam hujus textus saltem usque ad an. 100. Codici syrosinaitico deest folium correspondens huic pericopæ, sed etiam in illo legebatur noster locus, ut rationibus certis demonstratum est. Aphraates et S. Ephræm alludunt ad hunc locum R 706; hi auctores in suis commentariis ad D̄iatessaron (harmoniam antiquissimam quatuor evangeliorum) norunt hunc locum, unde patet quod in illa harmonia pericopa hæc legebatur. Evangelium Hebræorum, quod est parafrasis aramaica evangelii Mt ad usum iudeo-christianorum, exaratum sæc. I, affert etiam hunc locum.

Harnack putat tantum medium partem versus 18 interpollatam esse. Juxta ipsum primo legebatur ita: «Et ego dico tibi quia tu es Petrus et portæ inferi te non vinceat». Et deinde consulto mutatus est textus prout nunc legitur. Et citat locum S. Ephræm ubi legitur hoc modo in commentario ad D̄iatessaron; ergo primum est —ait ille— quod in hoc opere ita legebatur et hæc est absque dubio lectio primigenia. Sed hoc minime probatur quia S. Ephræm in hoc loco commentatur textum libero quodam modo, ut solet, et ex aliis locis suorum operum apparet illum novisse locum integrum.—Cfr etiam testimonia Cypriani et Firmiliani R 555, 571. Magni ponderis etiam est testimonium Origenis, Tertuliani R 387, et Justini (Dial. 106) (hæc citatio est omnium antiquissima).

Rationes adversariorum ad probandam interpolationem nullius momenti sunt. Petrus statim reprehenditur Mt 16,23, ergo Matthæus non potuit scribere et elogium et reprehensionem; præterea hic locus non bene componitur cum contentione Apostolorum de primo loco in regno Dei (Mt 18). R̄ Pæcise hæc omnia probant fidelitatem historicam nostrorum Evangeliorum, quæ non omittunt neque ea quæ decoris esse poterant pro Apostolis.—Alia difficultas est quod Mc et Lc in loco parallelo nihil dicunt de hac promissione. R̄ Ex aliis locis infertur illos novisse hunc eventum, quia narrant impositionem nominis Petri et supponunt notam ejus explicationem, Mc 3,16; Lc 6,14. Præterea interpolator debuisset interpollare in tribus synopticis, ut ejus fraus non detegretur.

Impossibilitas interpolationis. Adversarii supponunt hunc locum interpollatum fuisse Romæ, in fine sæc. II vel antea. Sed hoc tempore exemplaria Evangeliorum sparsa erant per totum orbem, et mutare textum omnium erat omnino impossibile. Præterea exsistebant

versiones in diversas linguis. Unanimitas codicum in lectione hujus pericopæ demonstrat falsitatem hujus opinionis.

Color aramaicus totius pericopæ, lusus verborum circa vocem *Kepha* (qui in linguam græcam imperfecte redditur) produnt originem palæstinianam pericopæ. Exsistit præterea quidam parallelismus formalis: Tu dixisti de Me: Tu es Christus etc; ego autem dico de te: Tu es Petrus etc...

Evangelium Mt est opus artis eximiæ. Dividitur in duas partes, quæ partes indicantur formulis introductoryis (4,17; 16,21). Quinque magni sermones Domini inseruntur inter cetera facta et miracula, omnes habent eamdem conclusionem. (7,28; 11,1; 13,53; 19,1; 26,1). Jamvero, hæc pericopa occupat medium inter duas illas partes, est velut locus centralis et culmen totius Evangelii, ut si diceret: quia Israel Regnum Dei non accepit (sicut in priori parte probatum est), nunc nova communitas ædificabitur super novum fundamentum.

Præterea nomen Petri non explicatur si pericopa non est vera. Alii fontes supponunt sensum hujus nominis notum esse lectoribus et solus Matthæus narrat hanc explicationem.

b) *Genuinitas historicæ*.—Theoria quæ admittit genuinitatem literariam, negat vero historicam nullum factum historicum habet pro se. Unice nititur præjudiciis philosophicis falsis. Christus —secundum ipsos— non cogitavit de Ecclesia fundanda, ergo non potuit proferre hæc verba. Hæc est tota ratio argumentandi. Jamvero hoc præsuppositum est falsum, ergo...

c) *Sensus*.—Contextus: interrogatio Christi ad apostolos et responsiones eorum. Ex his responsionibus appareat Israel non agnovisse Jesum tamquam Messiam; duces populi cum suis calumniis et ideis messianicis falsis suffocaverunt fidem populi. Tunc Jesus quærit: Vos autem quem me esse dicitis? Petrus solus respondit agnoscens et Messianitatem et Filiationem divinam Jesu. Hic summis laudibus extollit confessionem hanc et in hoc contextu venit promissio Præmatus.—Tribus metaphoris exprimit Jesus suam voluntatem: 1.<sup>a</sup> Ecclesia comparatur cum ædificio; fundamentum hujus ædificii erit Petrus. 2.<sup>a</sup> metaphora clavium: Christus dat Petro claves Ecclesiæ, id est, plenitudinem potestatum in ea. 3.<sup>a</sup> «Solvere, ligare»: omnia quæ fecerit Petrus in exercitio suæ supremæ potestatis in Ecclesia, erunt a Deo approbata.

1. *Metaphora petræ*.—Ibi Christus sese refert ad saxum naturale super quod ædificatur domus Lc 6,48; hoc fundamentum tribuit domui suam firmitatem Mt 7,24. Potestates diabolicae non prævalebunt adversus Ecclesiam, præcise quia hæc est ædificata super tale

fundamentum, sicut nec pluviae nec venti possunt destruere domum fundatam supra petram. Jamvero, in societate, hoc fundamentum tribuens firmitatem et unitatem, est auctoritas, quæ auctoritas in societate perfecta ut est Ecclesia, vocatur jurisdictionis. Ergo in his verbis promittitur Petro potestas jurisdictionis in universam Ecclesiam.

2. *Metaphora clavium*. — Regnum cœlorum de quo hic agitur idem est ac Ecclesia in præcedenti metaphora designata. Claves sunt symbolum potestatis in hoc Regno. Christus, Rex hujus Regni, committit administrationem regni Petro, tamquam suo Vicario vel cocomo, qui vices gerit Regis. Cfr Is 22,15 ss. Ergo his verbis promittitur Petro potestas gubernandi Regnum Christi, quod est Ecclesia.

3. «*Solvere, ligare*». — His verbis contrariis seu oppositis exprimitur totalitas potestatis, id est: Omnia que hac supra auctoritate legitime utendo feceris, erunt approbata et confirmationem accipient a Deo in cœlis.

Soli Petro promittitur hæc suprema et summa auctoritas, ut ex tota pericopa patet.

2.<sup>o</sup> *Collatio Primatus: ex Jo 21,15 ss.*

Alia prorsus est condicio verborum in hoc textu. Ibi sonitus belli, hic pax summa: piscatio, convivium matinale, colloquium familiare cum Christo.

Quoad genuinitatem textus hæc nota: ultimum caput Jo additum est operi jam absoluto, sed prout constat, hoc evangelium numquam evulgatum est absque hoc ultimo capite.

Metaphora «pascere» adhibita in sensu «regere» vel «gubernare» est notissima in Scripturis Cfr 2 Reg 5,2; Ps 77,71. Messias annuntiatur tamquam bonus Pastor Jer 23,1; Ezech 34,1. Universus grex Christi, id est, omnes credentes in eum, committuntur Simoni Petro, ut hic pascat (=gubernet, regat) eos, nam Christus debet ascendere ad Patrem. Sed semper Christus manet dominus et pastor supremus; propterea dicit: oves meæs. Petrus tantum est Pastor vicarius, vices gerit Christi. Verba Jesu diriguntur ad unum Simonem Petrum.

*Schol.* — Indicia Primatus Petri in aliis evangeliis non desunt. Uterque (Mc et Lc) narrat Christum imposuisse Simoni nomen Petrus, Mc 3,16; Lc 6,14. Uterque insinuat Petrum quemdam Primatum inter duodecim gessisse Mc 1,36; Lc 8,45; Mc 1,16; Lc 5,1 ss. Præterea Lc 22,31 ss. affert pericopam magni momenti quæ diserte Petri magisterium respicere videtur.

*Schol. De Perennitate Ecclesie et Primatus.* — Ex dictis facile infertur Jesum voluisse Ecclesiam suam, una cum Primatu, esse perennem. Id est, Ecclesia et Primatus debent durare quamdiu duret

mundus. Regnum Dei in æternum stabit, sed Ecclesia quæ est Regnum Dei in condicionibus hujus sæculi, finem habebit in consummatione mundi. Præterea, verba Christi in Mt 16,18, supponunt omnimodam indefectibilitatem Ecclesiæ in suo munere sanctificandi homines, in munere docendi, quia depositum Christi integrum servabit et erit lux mundi etc Adversantur huic perennitati omnes illi qui existimant Ecclesiam aliquando perituram esse vel ejus constitutionem essentiali evolutioni obnoxiam esse et omnes illi qui exspectant novas œconomias, sicut Montanistæ etc. «Non prævalebunt», id est, tam Ecclesia quam Primatus habebunt robur adversus potestates inimicas. Novæ œconomiae non exspectandæ sunt, nam salus messianica est œconomia ultima et definitiva. Mt 28,18-20 : Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi : clarus non potest indicari et perennitas Ecclesiæ et ejus omnimoda indefectibilitas in suo munere implendo.

## THESIS VI

**Ecclesia Universalis tempore Apostolorum hierarchice constituta erat**

NEXUS.—Ex præcedentibus scimus jam qualem constitutionem dederit Christus Ecclesiæ suæ ; sed ad hoc ut melius cognoscamus mentem Christi in hac re (nam tandem aliquando cum hac nostra inquisitione de tempore apostolico unice intendimus penitus investigare intentionem et voluntatem Christi ut certiores reddamur de veritate eorum quæ jam probata sunt), debemus nunc inquisitionem instituere de Ecclesia, qualis fuerit tempore apostolico, quia Apostoli, ut testes et optimi interpres Christi, debuerunt organisare Ecclesiam juxta præcepta Domini ; ideo studium epochæ apostolicae multum inservit ad detegendam voluntatem Christi.

NOTIONES.—«Tempus apostolicum» : hoc nomine designamus epocham quæ protrahitur ab Ascensione Christi usque ad an. 70. Hoc anno Petrus, Jacobus et Paulus jam mortui erant, Evangelium longe lateque propagatum fuerat, plurimæ ecclesiæ fundatae erant ; cum bello judaico omnia vincula quæ exsistebant inter Ecclesiam et Synagogam disparuerunt, quæstio de obligatione legis mosaicæ jam soluta erat. Longe major pars christianorum ex gentibus oriundi erant. Et tota hæc evolutio et incrementum factum est magna cum pace, nam

Imperium Romanum nondum distinxerat christianos odio suo. Persecutio Neroniana accidit in fine hujus periodi.

Cum agatur de facto aliquo historico externo consulendi sunt fontes; id est, debemus inspicere quid dicant de organisatione Ecclesiæ hoc tempore. Jamvero fontes, quia agitur de facto publico et omnibus notissimo, hanc organisationem potius supponunt quam describunt. Hi fontes sunt epistolæ S. Pauli, documenta christiana anti-quissima (a. 50-67); liber Act (a. 63); epistolæ Petri, Judæ, Jacobi (a. 60-70); opera S. Joannis (a. 90-100). Una cum his libris canonici sunt etiam fontes pro hac periodo Didaché, Epistola Clementis ad Cor. a. 96, epistolæ S. Ignatii Antioch. (a. 107), epistola Policarpi ad Philipp. Testes vero maximæ auctoritatis sunt: Paulus, Lucas, Petrus, Ignatius... hi viri optime noverunt Ecclesiam hujus temporis et eorum testimonium nec fraudis nec erroris argui potest.

ADVERSARII.—Sententiæ adversariorum circa organisationem Ecclesiæ tempore apostolico reducuntur ad sententiam democraticam et charismaticam. Sententia democratica: in societate democratica subjectum omnium jurium socialium est ipsa communitas seu summa omnium membrorum. Cives seu asseclæ societatis utuntur suis iuribus in suis conventibus vel per viros a communitate electos ad hoc ut nomine communitatis gerant quædam munera. Hujusmodi munera creantur, mutantur, limitantur vel omnino tolluntur a communitate; persona cui committitur exercitium muneris rationem reddere tenetur communitati suorum actuum, potest deponi etc. Hanc fuisse conditionem Ecclesiæ primitivæ asserunt multi moderni, ut Harnack etc.—Sententia charismatica R. Sohn: naturæ Ecclesiæ repugnat jus vel organisatio juridica. Illi qui gaudebant donis charismatis præerant aliis; ceteri christiani præstabant iis subordinationem fundatam in charitate, non in jure stricto vel justitia. Anarchiam pneumaticam vocat Sohn hanc organisationem. Hoc regimen duravit usque ad finem s. I et postea successit constitutio juridica.

Afferunt etiam multi rationalistæ moderni primos christianos non pervenisse ad ideam alicujus Ecclesiæ Universalis nisi sero, per evolutionem; ecclesiæ particulares seu locales sunt primigeniæ, et postea, per evolutionem, perventum est ad conceptum Ecclesiæ Universalis. Hanc sententiam esse falsam facile deducitur ex consideratione fontium. Primi christiani jam ab initio consideraverunt suam religionem tamquam universalem, destinatam pro omnibus et organisatam in forma unius societatis omnes Christi discipulos amplectentis. Ergo Ecclesia Universalis est primigenia; ecclesiæ vero particulares non sunt nisi partes ejus et habent vitam et subsistentiam ex illa Uni-

versali Ecclesia. Propterea primo agimus de Ecclesia Universalis, et deinde, in thesi sequenti, de ecclesiis particularibus.

CENSURA.—Quod Hierarchia sit in Ecclesia jure divino: de fide divino-catholica definita D 966, 1821; ergo agitur de constitutione perenni, essentiali et immutabili; propterea est de fide implicita quod etiam tempore Apostolorum Ecclesia fuerit tali modo constituta. Cfr etiam D 2053, 2054, 2055, 2091.

PROBATIO.—In probatione debemus colligere ea quae in fontibus inveniuntur de unitate organisata Christianorum tempore apostolico. Id est, debemus probare Christianos illius temporis efformasse aliquam societatem altioris ordinis, universalem, cum sua auctoritate hierarchica. Omnes sciebant ipsum Christum instituisse Apostolatum et Primatum, et cetera munera originem duxisse ab hac potestate hierarchica et hanc indolem hierarchicam participare. Non negamus Apostolos aliquoties, prout prudentia vel charitas videbatur postulare, Christianis quasdam partes in eligendis viris reliquise, ut in electione septem diaconorum Act 6,1 ss.; cfr etiam 1 Cor 5,1 ss.; Didache R 9. Similiter, illi qui donis charismaticis ornati erant, habebant quamdam velut praestantiam et commendati apparebant ut exercerent quaedam munera. Sed haec nihil derogant constitutioni hierarchicæ. In probatione procedimus gradatim.

#### 1.º *Unitas Christianorum.*

Christiani jam ab initio sese consideraverunt tamquam membra alicujus novæ religionis, sejuncti ab aliis et arctissime uniti inter se. Cfr Act 5,12-13; 4,4. Hoc bene intellexerunt etiam sacerdotes et Saducei et propterea persequebantur eos Act 5,17 ss. Secta Nazarenorum Act 24,5. Secta cui ubique contradicitur Act 28,22. Nomen Christianorum Act 11,26. Qui intus et qui foris sunt 1 Cor 5,12; 2 Cor 6,14. Omnes baptizati efficiunt unum corpus; vocantur fratres, discipuli, Sancti, gens sancta...

#### 2.º *Unitas externa.*

Christiani uniti erant inter se per vincula socialia externa. Doctrina, opera charitatis et cultus apparent præsertim in fontibus. Perseverabant in doctrina Apostolorum Act 2,42. Idem symbolum habebant omnes 1 Cor 15,3; sive ego sive illi sic prædicamus 1 Cor 15,11. Una fides Eph 4,5. Opera charitatis: unum cor et anima una, non erant egeni Act 4,32. Colligebantur eleemosynæ pro fidelibus aliarum urbium... Idem cultus: fractio panis Act 2,42, Koinonia 1 Cor 10,16; unum baptismus Eph 4,1-6.

### 3.<sup>o</sup> *Unitas organisata.*

Habebatne hæc unitas christianorum aliquam auctoritatem superiorem, agnitam ab omnibus? Si inspiciatur liber Act statim appetet indoles *apostolica* Ecclesiæ nascentis. Tam Ecclesia hierosolymitana, quam antiochena et ceteræ ortæ ex hac, omnes agnoscant eamdem auctoritatem, scilicet apostolicam. Cum Antiochiæ agitata est quæstio de obligatorietate Legis, Paulus et Barnabas missi sunt in Jerusalem ad hoc ut agerent cum Apostolis de hac re 15,2. Petrus dedit solutionem, quam statim omnes acceperunt; et pro ecclesiis diasporæ ediderunt decretum. Clarissime ergo appetet quod omnes ecclesiæ agnoscebant unam auctoritatem apostolicam.

Apparet *Primatus Petri* in Act? Apparet quidem Petrus occupans locum præcipuum, tamquam Caput et Princeps Collegii Apostoli. «Petrus cum undecim», «Petrus et apostoli»... 2,14; 5,29. In priori parte libri fere non describuntur nisi actus Petri. Dein «abiit in alium locum» 12,17, et jam amplius non loquitur de Petro. Quoniam abiit? Ut videtur, lectoribus notus erat locus commemorationis Petri et omnes sciebant condicionem Petri et Primatum quem gerebat in Ecclesia. In altera parte Act describuntur actus Pauli; Lucas intendit comparare Paulum cum Petro ut ostendat illum esse verum apostolum et ex hac comparatione iterum appetet excellentia Petri.

Episcolæ paulinæ continent documenta egregia hujus unitatis organisatæ Ecclesiæ apostolicæ. Ecclesia est Corpus Christi, id est, comparatur organismo aliquo 1 Cor 12,12 ss: aliquid unitum, constans ex variis organis et membris. Auctoritas hujus unitatis organisatæ est apostolica. Ipse Paulus venit Jerusalem Apostolos videndi causa et agnitus est ab eis Gal 2,2 ss. Præterea haud obscure innuitur Primatus Petri. Sat frequenter nominat Petrum in suis epistolis, quem supponit lectoribus valde notum. Ego sum Cephæ 1 Cor 1,12; 9,5; 15,5. Venit Jerosolymam videre Petrum Gal 1,18. Columnæ Ecclesiæ agnoverunt suum apostolatum Gal 2,9. Simulatio Petri antiochena tantam vim habuit ut omnes ducerentur in illam simulationem: en novum argumentum auctoritatis Petri Gal 2,11 ss. Paulus scit se coram Galatis non posse adducere auctoritatem majorem quam consensum Petri cum ipso. Jamvero unde potest habere Petrus talem auctoritatem in ecclesiis paulinis? Ipsum nomen Cephas quod Paulus solet adhibere, jam est tacita allusio ad impositionem nominis et officii Primatus in Ecclesia.

## THESIS VII

### Ecclesiæ particulares tempore Apostolorum et ipsæ hierarchice constitutæ erant

NEXUS.—In thesi præcedenti egimus de constitutione hierarchica Ecclesiæ Universalis tempore Apostolorum. Nunc agendum est de organisatione ecclesiarum localium.

NOTIONES.—Sensus thesis est: auctoritas ecclesiarum localium (tam munera quam personæ quæ ea exercebant) instituebantur hierarchico modo, id est, immediate a Deo vel ab apostolis. Negatur proinde organisatio democratica vel charismatica. Non vero negamus omnem concursum populi vel communitatis; similiter, illos qui aliquibus donis charismaticis prædicti erant velut titulum habuisse ut ad quædam munera exercenda cooptarentur, non negatur.

ADVERSARII.—Fautores sententiae democraticæ et charismaticaæ.

CENSURA.—Ut in thesi præcedenti.

PROBATIO.

A) *Ex testimonio Actuum.*

1.<sup>o</sup> *Ecclesia hierosolymitana.*—Occasione cujusdam murmurationis, Apostoli decidunt creare munus novum, scilicet *diaconos*. Act 6,2. Convocantes multitudinem jubent ut proponant viros ad exercendum hoc munus. Ita factum est et Apostoli imposuerunt eis manus. Ergo institutio fuit actus hierarchicus apostolorum.

Quoad originem *presbyterorum*, Act nihil dicunt, fortasse quia post narratam institutionem diaconorum non videbatur necessarium, nam modus institutionis absque dubio fuit similis. Presbyteri nominantur prima vice Act 11,30. Deinde, tamquam præsules ecclesiæ hierosolymitanæ non apparent Apostoli, sed «*Jacobus cum presbyteris*», Act 15. Similiter Act 21,18. Hi presbyteri in concilio habuerunt partem una cum Apostolis, Act 15. Erat munus locale quod secum ferrebat potestatem regendi et docendi. Modus institutionis debuit esse hierarchicus, nam unice Apostoli potuerunt constituere eos et committere eis regimen ecclesiæ hierosolymitanæ.

2.<sup>o</sup> *Ecclesiæ inter gentes.*—Ecclesiæ Antiochenæ Barnabas præficitur ex voluntate Apostolorum, Act 11,20 ss. Utrum in hac eccl-

sia fuerint presbyteri seu præpositi locales sicut in hierosolymitana, nescimus.

Ecclesiæ paulinæ. S. Paulus visitabat ecclesias ab ipso fundatas constituens presbyteros in omnibus, Act 14,22, ergo modus institutionis erat hierarchicus. Ipse Paulus manebat verus præsul omnium ecclesiarum ab ipso conditarum, presbyteri vero præeunt ecclesiis particularibus cum debita subordinatione ipsi. Paulus visitat omnes suas ecclesias cum vera potestate episcopali, Act 15,36. Cum Paulus venisset Miletum, vocavit ad se presbyteros ecclesiæ Ephesi et allocutus est eos ut digne implerent munus, nam sunt pastores gregis, positi a Spiritu Sancto; propterea vocat eos episcopos, i. e. qui habent officium invigilandi, Act 20,17 ss. Erat ergo auctoritas hierarchica, subjecta auctoritati apostolicæ et restricta ad ambitum ecclesiæ localis.

B) *Ex testimonio S. Pauli.*

Paulus gaudet vera auctoritate et potestate supra omnes ecclesias a se fundatas, 1 Cor 4,21. Unice Deo tenetur rationem reddere exercitii talis potestatis, 1 Cor 4,4. Utens hac potestate, multa præscribit 1 Cor 11,2; 14,34; 11,17; 16,1 etc. Fautores sententiae democraticæ vident vestigia organisationis democraticæ in aliquibus phrasibus: nihil mihi interest ut a vobis judicer 1 Cor 4,3, sed evidens est hic quæstionem esse de murmurationibus, sicut antea judæo-christiani improbaverunt quod Petrus introisset in domum Cornelii Act 11,2. Aliquando ipse Paulus concedit fidelibus aliquam participationem prout prudentia videbatur postulare, ut cum præcipit tribunal constitui ad judicandum incestuosum 1 Cor 5,1 ss., sed ipse dat eis potestatem et ii nihil aliud faciunt nisi exsecutioni mandare sententiam jam ab ipso apostolo latam. Vult quod ecclesiæ constituant legatos ad mitterendas eleemosynas in Jerusalem.

Ipse Paulus, ecclesias invisendi causa, mittit legatos suos, sua auctoritate præditos; ita misit Timotheum ad Thesalonicenses 1 Thes 3,2, et ad Corinthios 1 Cor 4,17; 16,10. Titum misit ad Corinthios et reversus est referens horum veram subjectionem 2 Cor 7,7. Paulus manet verus pater et episcopus omnium suarum ecclesiarum.

Præpositi locales regunt ecclesias sub auctoritate Pauli. Paulus hortatur fideles ut sese subjiciant sub illis 1 Cor 16,16. Inter officia seu munera Ecclesiæ numerat gubernationes 1 Cor 12,28; Rom 12,8; Eph 4,11. Salutat episcopos et diaconos Philip 1,1. Cum ex alia parte ipse Paulus retinebat auctoritatem supra suas ecclesias, jam appareat quid fuerint hi «episcopi»; eos vocat cooperatores suos Philip 2,25.

Hi præpositi locales erant varii in unaquaque ecclesia, habebant munus pastorale et erant subjecti apostolo. Cfr 1 Thes 5,12.

In epistolis pastoralibus apparet Paulum constituisse Timotheum supra ecclesias Asiæ et Titum supra ecclesias Cretæ. Sed etiam tunc Paulus retinet auctoritatem supra utrumque discipulum et supra fideles his subjectos. Presbyteri-episcopi harum ecclesiarum debent esse subjecti his legatis Pauli 1 Tim 5,17. Ne cito aut leviter conferant munera 1 Tim 5,22; Tit 1,5. Præpositos locales vocat episcopos 1 Tim 3,1, eorum qualitates 1 Tim 3,4; Tit 1,7. Hos ipsos vocat presbyteros 1 Tim 5,17. Sunt œconomi vel dispensatores Tit 1,7. Diaconi non sunt nisi coadjutores horum episcoporum et instituuntur modo hierarchico, 1 Tim 3,8; Phil 1,1.

*Scholion*.—De sensu vocum presbyteri, episcopi, diaconi.

*Presbyteri*. Tempore apostolorum vocabantur ita præpositi locales: erat munus hierarchicum, locale, cum potestate regendi, subjectum apostolis. Tempore vero post-apostolico, cum successores apostolorum carerent nomine proprio, voces presbyteri et episcopi quæ antea erant synonymæ, distingui cœperunt, ita ut præsules monarchici ecclesiarum vocarentur episcopi, presbyteri vero horum coadjutores subordinati.

*Episcopi*. Sæc. I hoc nomen indiscriminatim applicatur ad episcopos et ad presbyteros. Sed jam epistolæ S. Ignatii clare efferunt distinctionem inter episcopum monarchicum et collegium presbyterorum ei subjectorum.

*Diaconi*. Sensu lato omnia munera Ecclesiæ sunt diaconiae = ministeria. Sensu technico est munus speciale episcopatu subordinatum.

## THESES VIII

### Tempore post-apostolico ecclesiis particularibus præerant episcopi monarchici

*NEXUS*.—Apostolis vita functis, eorum auctoritas ad quos transivit et quo ambitu? Qui sunt successores S. Petri in Primatu? Quæ erat forma regiminis in ecclesiis particularibus? Quæ mutationes orたe sunt in organisatione Ecclesiæ post mortem Apostolorum? Quomodo exsurgit conditio rerum stabilis et fixa in organisatione Ecclesiæ? Proinde duæ quæstiones tractandæ sunt: 1.<sup>a</sup> De Episcopis, ut Apostolorum Successoribus; 2.<sup>a</sup> De Romanis Pontificibus, ut S. Petri

in Primatu supra Universam Ecclesiam Successoribus. In hac et sequenti thesi agimus de episcopis. In hac unice investigamus organisationem quæ de facto exsistebat circa an. 150.

NOTIONES.—*«Tempus post-apostolicum»*: hoc nomine designamus epocham quæ extenditur ab anno 70 usque ad 150. Epochæ maximi momenti ad cognoscendam organisationem Ecclesiæ. Adhuc ferrebat spiritus Christi et Apostolorum; homines egregii, ut Ignatius, Polycarpus etc erant in Ecclesia; sed simul imminebant magna pericula: errores doctrinales, relaxatio morum, refrigeratio fervoris primitivi, persecutio[n]es etc. Crescente numero christianorum tepescuit fervor ille primus; ex alia parte auctoritas illa incomparabilis Apostolorum jam non praesto erat. Antidotum tot malorum fuit unitas quam arctissima omnium membrorum Ecclesiæ in doctrina et institutione apostolica. Statuitur principium traditionis et successionis apostolicæ tamquam regula veræ fidei. Organisatio quam intime cohaeret cum doctrina, et quo validiores evadunt erroris impetus, eo efficacius organisatio manifestat suum vigorem. In manifestatione organisationis apparet igitur quidam progressus, nam omnia organa agendo perficiuntur. Ita organa et munera data Ecclesiæ a Christo transcursu temporis clarius manifestant suum modum agendi, suas vires etc.

Cum agatur de facto historico, consulendi sunt fontes. Præcipui sunt Didache, Patres Apostolici (Clemens, Ignatius, Polycarpus); Tertullianus. Eusebius in sua Historia Ecclesiastica (a. 320) conservat aliqua fragmenta Papiæ (3,36), Dionysij Corinthiaci (4,23), Hesegippi (2,23; 4,21); insuper dat notitias controversiae de celebratio[n]e Paschæ (5,23). Irenæus, Chronica Arbelæ, Epitaphium Abergii, etc.

*«Episcopi monarchici»* i. e. unus tantum episcopus præferat unicuique ecclesiæ. Sunt aliqui textus Clem. Rom. et Polycarpi ad Corinthios qui possunt interpretari ut si in illa ecclesia paulina exsisterent episcopi-presbyteri qui eam gubernabant collegialiter; sed haec interpretatio non est nec unica nec necessaria. Nos affirmamus in thesi in omnibus ecclesiis plene constitutis viguisse hoc tempore episcopatum monarchicum. *«Absque episcopo, presbyteris et diaconis ecclesia non vocatur»* (S. Ignatius R 49). Fortasse in aliqua ecclesia paulina admittenda sit exceptio quoad episcopatum monarchicum, non vero quoad indelem hierarchicam potestatis regendi.

ADVERSARII. — Harnack affirmit omnes ecclesias primitivas habuisse organisationem democraticam usque ad finem s. II; deinde, influxu diversarum causarum factæ sunt hierarchicæ et monarchicæ.

Juxta alios ecclesiæ regebantur a charismaticis. Cum charismata dis-paruerunt, orta est forma hierarchica et monarchica.

CENSURA.—De fide est in Ecclesia exsistere hierarchiam jure divino D 966, ergo etiam tempore post-apostolico debuit exsistere. Quod episcopi debeat esse monarchici non videtur esse juris divini; collegialitas episcoporum non videtur repugnare indoli hierarchicæ. Repugnat vero constitutio democratica et evolutio naturalis ad statum monarchicum.

### PROBATIO.

*Controversia de celebrando Paschate* (a. 190).—Orta est discussio quanam die celebranda erat Resurrectio Domini. Longe major pars ecclesiarum celebrabat hoc festum dominica quæ sequitur 14 Nisan; sed ecclesiæ Asiæ celebrabant mortem Christi ipsa die 14 Nisan et ejus Resurrectionem duobus diebus postea quocumque hebdomadæ die. Victor Papa præcepit ut congregarentur synodi episcoporum in diversis regionibus ad decidendum de hac quæstione et ut mitterent suas decisiones ad ipsum. Exceptis episcopis Asiæ omnes consenserunt Resurrectionem Domini die dominica celebrandam esse. In hoc facto elucet imprimis unitas universalis Ecclesiæ, quæ centrum habet Romæ. Apparet insuper organisatio metropolitana, nam aliquæ sedes episcopales quadam auctoritate gaudebant supra ceteros episcopos regionis. Ita Polycrates, episcopus ephesinus, præfuit episcopis Asiæ. Præcipue vero apparet omnes episcopos tunc temporis esse monarchicos; singulis ecclesiis præerat unus episcopus, tamquam pastor monarchicus suæ ecclesiæ. Polycrates scripsit epistolam ad papam Victorem et ex toto modo loquendi infertur ipsum non novisse nisi ecclesiæ monarchice constitutas K 93,95. Nominat aliquos episcopos Asiæ prædecessores suos, qui floruerunt ante medium sæculum secundum, ergo Asiæ jam tunc viguit episcopatus monarchicus. Jam antea, a. 150, Polycarpus et Papa Anicetus (ambo ut episcopi monarchici) habuerant quæstionem de hac ipsa re K 99 ss.

Tertullianus a. 200 affirmat ecclesiæ catholicae habere catalogum episcoporum suorum inde ab apostolis R 296.

Similiter Irenæus a. 200 asserit hoc ipsum; primi episcopi ab apostolis instituti sunt, ii reliquerunt successores et ex hac successione constat traditio apostolica R 209; dat catalogum episcoporum ecclesiæ romanæ R 210; sed eodem modo constitutæ erant ecclesiæ in omnibus locis R 192. Polycarpus constitutus est episcopus Smirnensis ab apostolis R 212. Ergo tempore Irenæi omnes ecclesiæ erant monarchicæ et exsistebat persuasio hanc esse formam legitimam et apostolicam.

Dionysius *Corinthius* a. 170 scripsit varias epistolas ad diversas ecclesias; in multis nominat episcopum (monarchicum) ecclesiæ ad quam scribit. Apparet ergo quod in Acaja, Creta, Asia et Romæ tunc temporis vigebat episcopatus monarchicus.

Hegesippus a. 180 confecit catalogum episcoporum ecclesiæ hierosolymitanæ inde ab apostolis. Hic fecit magna itinera ut visitaret diversas ecclesias et certior fieret de vera doctrina Christi et Apostolorum. Locutus est cum Primo, episcopo Corinthiorum, et Aniceto, episcopo Romæ, nominat varios episcopos Romanos, etc. K 69.

*Epistola S. Ignatii* a. 107. Sine episcopo, presbyteris et diaconis ecclesia non vocatur R 49. Obediendum est episcopo; hic est unus sicut eucharistia est una R 56,65. Hi episcopi constituti sunt per totam terram R 38. Nomine proprio nominat aliquos episcopos. Verum est quod in epistola ad Romanos tacet de episcopo illius ecclesiæ, sed ex hoc silentio non licet inferre illam ecclesiam tunc temporis non fuisse episcopaliter constitutam. Cum sua morte ecclesia Syriæ, suo pastore privabitur; Jesus Christus vice episcopi et ecclesia Romana regent eam R 55. Ergo clarissime apparet episcopatus monarchicus.

Chronica Arbelæ in regno Parthorum. Illæ ecclesiæ habebant episcopatum monarchicum.

*Epistola ad septem ecclesias Asiac* Apoc 1,4 ss. Angeli ecclesiarum sunt episcopi monarchici, positi a Deo supra ecclesiam respectivam.

Denique episcopatus monarchicus adumbratur jam tempore Apostolorum in ecclesia hierosolymitana, ubi Jacobus, cui assistunt presbyteri, regebat communitatem.

(*Enumeratio ecclesiarum quæ versus medium vel finem sæc. II extiterunt et de quibus sunt notitiae, cfr Dieckmann n. 443 ss.*)

## THEISIS IX

**Consensus ætatis post-apostolicæ testatur primos episcopos ab Apostolis esse institutos et esse eorum successores in munere apostolico ordinario; ita ut episcopi sint hierarchici et juris divini**

NEXUS. — In thesi præcedenti investigavimus organisationem quæ de facto existebat in Ecclesia medio sæc. II. Nunc debemus perpendere conditionem juridicam illorum episcoporum.

NOTIONES.—*Episcopi* = præpositi (monarchic) ecclesiæ particularis. Dicimus ab apostolis institutos esse, ergo modo hierarchico.

Sed ex hac institutione nondum constat jus divinum episcoporum, quia episcopatus poterat esse creatio aliqua humana apostolorum; propterea additur apostolos instituisse episcopos tamquam successores ipsorum. Jamvero *successio formalis* postulat succedere in jura, obligationes etc. Episcopi igitur succedunt Apostolis in eorum munere apostolico, et cum munus apostolicum sit juris divini, etiam munus episcopale debet esse. Sed notandum est successionem episcopalem non complecti totam rationem apostolatus, quia apostoli habuerunt quædam privilegia personalia (= infallibilitatem personalem, jurisdictionem universalem), sed restringi ad *munus apostolicum proprie dictum seu ordinarium*, ad quod exercendum apostoli electi et missi fuerant a Christo. Id est, Apostoli acceperunt munus continuandi et perficiendi missionem et opus Christi Redemptoris, Magistri et Regis; acceperunt igitur triplicem missionem et potestatem, scilicet sanctificandi, docendi et regendi. Et hoc munus commisum apostolis transiit ad eorum successores.

Ope testimoniorum historicorum debemus probare episcopatum habitum esse ut gradum supremum in ecclesiis particularibus, et quidem jure divino. Quoad indolem vero monarchicam hujus episcopatus fontes non loquuntur pari cum claritate; ideo non est una sententia auctorum. Aliqui censem ipsos Apostolos instituisse regimen monarchicum ecclesiarum particularium; alii vero contendunt forman regiminis non fuisse eamdem in omnibus ecclesiis, quia dum aliæ erant monarchice constitutæ, aliæ regebantur collegio episcoporum. Sicut jam antea dictum est, collegialitas episcoporum non repugnat indoli hierarchicæ, sive unus gaudens majori auctoritate præsit ceteris episcopis, sive omnes gaudeant pari auctoritate et inter omnes regant ecclesiam. Documenta historica non excludunt omni cum evidencia theoriam secundum quam in fine sæc. I aliquæ ecclesiæ constitutæ erant collegialiter; sed simul testantur Apostolos reliquise statutam forman episcopatus monarchici.

ADVERSARII. — Rationalistæ et Modernistæ. Eorum sententiæ D 2053, 2091 ss. Calvinistæ, lutherani etc. negant indolem hierarchicam, originem et jus divinum episcopatus.

CENSURA.—Episcopos esse hierarchicos et juris divini, de fide divino-catholica definita D 966. Hos episcopos debere esse monarchicos non constat esse juris divini.

#### PROBATIO.

II. *Episcopi ab Apostolis instituti sunt.*

Ex thesi præcedenti deducitur medio sæc. II ubique viguisse constitutionem episcopalem. Jamvero si quæramus: unde nam oriri

potuit hæc forma organisationis? Supposita auctoritate quam fontes primitivi tribuunt Apostolis, hæc forma organisationis non potuit non esse originis apostolici. Theoria evolutionis naturalis est prorsus aliena mentalitati Ecclesiæ primitivæ, nullum fundamentum habet in fontibus nec inveniuntur vestigia ulla litium quæ absque dubio producerentur cum mutatio fieri debuit.

Sed afferamus aliqua testimonia positiva quæ asserunt episcopos institutos fuisse ab Apostolis. Tertullianus a. 200 arguit contra hæreticos, et argumentum sumit ex institutione et successione apostolica episcoporum R 296, 297, 341. Clemens Alexandrinus loquitur de episcopis ab apostolo Joanne institutis R 438. Etiam Fragmentum Murat. loquitur de episcopis S. Joannis R 268. Unus ex his episcopis fuit Polycarpus, juxta Irenæum R 212.

## II. *Episcopi sunt originis et institutionis divinæ, hinc etiam juris divini.*

Origo divina muneris episcopalnis eruitur ex eo quod episcopi sunt successores Apostolorum. Munus apotolicum est institutionis divinæ; si episcopi successione formalí acceperunt hoc munus, clarum est quod et ipsi sunt juris et institutionis divinæ. Ergo successio apostolica episcoporum est argumentum peremptorium.

Hæc successio apostolica episcoporum probatur per *catalogos* antiquorum scriptorum ecclesiasticorum. Ita *Eusebius Cæsarensis* in sua *Historia Ecclesiastica*, a. 311 dat successiones episcoporum in ecclesiis principalibus. In ecclesia hierosolymitana Simeon fuit immediatus successor Jacobi; ecclesia alexandrina fundata est a S. Marco, cui succedit Annianus; in antiochena, S. Petro succidunt Evodius et Ignatius, in Romana vero Linus, Anacletus et Clemens. Ex his catalogis et censibus evidentissime appetet episcopos consideratos esse tamquam successores Apostolorum.

Similiter *Irenæus* a. 190 affirmat se posse confidere catalogum omnium ecclesiarum, sed brevitatis causa unice dat nobis seriem episcoporum ecclesiæ Romanæ R 210-211. Traditio apostolica veritatis christiana comprobatur juxta Irenæum ex successione non interrupta episcoporum inde ab Apostolis R 209. Una cum episcopatus successione episcopi habent charisma veritatis, R 237. Vera gnosis est traditio apostolorum, quæ comprobatur per successiones episcoporum, R 242. Polycarpus est unus ex his successoribus apostolorum, R 212.

*Hegesippus* a. 160 fecit magna itinera ut visitaret illas ecclesias quæ ex episcoporum successione pervenient usque ad apostolos K 69 ss. Ergo argumentum successionis apostolicæ episcoporum jam tunc erat notum.

In *epistolis S. Ignatii* a. 107 maxima auctoritas tribuitur episcopo. Unitas ecclesiæ procedit ex unitate episcopi R 56; extra communionem cum episcopo non datur ecclesia catholica R 65; sine episcopo, presbyteris et diaconis ecclesia non vocatur R 49; episcopus regit ecclesiam, habet munus sanctificandi et docendi et qui eum sequuntur non errant, quia episcopi permanent in sententia Jesu Christi; R 65,38. Ergo sine episcopo nihil faciendum est. Jamvero, unde habet episcopus hanc auctoritatem? Ex eo quod præsident loco Dei R 44,48. Missus est a patre-familiâ ut gubernet suam domum, et christiani debent eum recipere ut ipsum Dominum qui eum misit.

*Epistola Clem. Rom. ad Cor.* a. 96. Seditio quædam facta est in ecclesia Corinthiaca adversus presbyteros. Clemens reprehendit talem seditionem, quia seditio repugnat indoli et naturæ Ecclesiæ, quæ est ad modum exercitus bene uniti vel ad modum organismi. Christus misit Apostolos, Apostoli vero constituerunt episcopos R 20, destitui non possunt R 21. Ergo Clemens clare effert successionem apostolicam presbyterorum-episcoporum et munieris divinam institutionem. De indole monarchica episcopatus non loquitur, fortasse quia, ut aliqui existimant, illa ecclesia regebatur collegialiter a variis episcopis vel quia ex causis nobis ignotis noluit nominare episcopum monarchicum.

*Epistola Apoc.* supponunt indolem monarchicam, hierarchicam et divinam «angelorum» ecclesiarum.

Ex *epistolis pastoralibus Pauli* eruitur institutio apostolica munieris Timothei et Titi, qui vicissim habent potestatem ut eligant successores. Successio vero apostolica formalis non adeo clare appetet, nam ipse Paulus adhuc curam gerebat omnium suarum ecclesiarum.

*Jacobus*, apostolus et episcopus monarchicus ecclesiæ hierosolymitanæ demonstrat nobis identitatem munieris apostolici et episcopalis.

Christus instituit Regnum universale et perpetuum. Ergo debuit velle ut, mortuis apostolis, alii succederent eis in munere regendi tale regnum. Jamvero, documenta christiana antiquissima testantur episcopos esse successores apostolorum. Ergo ita debet esse.

III. *Vi successoris apostolice munera essentialia apostolorum transierunt ad episcopos.*

Munera essentialia, id est, triplex potestas sanctificandi, docendi et regendi. Hic non agimus nisi de hac ultima. Episcopi habent potestatem jurisdictionis restrictam ad ecclesiam particularem.

Juxta Ignatium episcopus est monarca suæ ecclesiæ, qui eam gubernat et dirigit totam suam vitam, tamquam pastor et rector cui

omnes obediunt. Similiter Clemens reprehendit seditionem. Idem eruitur ex epistolis Apoc. et pastoralibus Pauli, etc.

*Schol.*—De aliquibus aliis fontibus hujus ætatis. *Didache* a. 90: loquitur de prophetis et doctoribus; si hi desint, eligendi sunt loco eorum episcopi et diaconi R 9. Nihil dicit de episcopis-presbyteris nec de episcopo monarchico.—*Polycarpus* in epist. ad Philipp. a. 110 loquitur de presbyteris et diaconis, nihil vero de episcopo R 73.—*Pastor Hermæ* a. 150 videtur indicare munus episcopale succedit esse apostolatu R 84.—*Justinus*: qui præest fratribus R 128.—*Origenes* R 473. *Tertullianus* R 310, 300. Cfr etiam K 1003, 192.

De modo quo conferebatur jurisdictio singulis episcopis. Exemplum habemus in chronica Arbelæ: quidam episcopus regionis finitimaæ venit in civitatem Arbelam, ubi christiani erant absque episcopo sex abhinc jam annis; ii rogaverunt eum ut imponeret manus cuidam diacono illius ecclesiæ, et ita factum est. Episcopus igitur confert munus, consentiente populo. Ita supponitur etiam in epistola Clem. R 21 et ita debent intelligi verba Didache R 9. Interventio populi erat ad habendam informationem vitæ et qualitatum candidati.

## THESIS X

### Apostolus Petrus Romam venit et ecclesiæ Romanæ episcopus fuit

**NEXUS.**—In thesibus præcedentibus probavimus episcopos successores esse Apostolorum. Nunc restat investigare quis sit successor S. Petri in munere Primatus supra Universalem Ecclesiam. Hanc quæstionem absolvemus in hac thesi et sequenti, probando historice Primatum Romani Pontificis in Ecclesia post-apostolica. In hac thesi unice probamus factum commorationis et episcopatus Romani S. Petri.

**NOTIONES.**—A priori nulla ratio invenitur ut episcopus Romæ præ aliis possideat Primatum supra Ecclesiam Universalem. Nexus inter sedem episcopalem Romanam et Primatum eruendus est ex facto aliquo positivo, id est, ex eo quod episcopi romani sunt successores Petri, qui simul fuit et Primas Ecclesiæ Universalis ex voluntate Christi et episcopus ecclesiæ particularis Romanæ; et ita Petri successores insimul sunt rectores ecclesiæ romanæ localis et rectores Ecclesiæ Universalis auctoritate primatiali suprema. Ita episcopus Romæ est Primas Ecclesiæ. Utrum hæc conjunctio episcopatus Romani cum Primatu sit juris divini vel non, disputatur inter theologos. Nos primo probabimus episcopos romanos esse successores Petri in re-

gimine ecclesiae particularis romanæ. Sed quamvis probemus episcopos romanos esse successores Petri in episcopatu civitatis Romæ, non eo ipso probatur potestas primatialis illorum episcoporum, quia Episcopatus et Primatus sunt munera diversa, quorum conjunctio positive debet probari. Ex alia parte, Petrus potuisset ligare Primum cum episcopatu Romano, quamvis ipse non fuisse episcopus urbis Romæ. Propterea Primatus Romani Pontificis non pendet a probatione facti historici commorationis et episcopatus Romani Petri. Tamen apparet convenientia vel naturalitas talis probationis quia in origine hujus potestatis primatialis Rom. Pont. invenitur hoc factum historicum.

De anno in quo S. Petrus Romam venit et tempore quo ibi commoratus est nihil certi scimus. Aliqui existimant Petrum a. 42 Romanum venisse, scilicet cum Act 12,17 dicitur «abiit in alium locum» et extunc usque ad martyrium ibi commoratum esse (25 annis). Sed ex Gal 2,11 scimus Petrum et Paulum Antiochiam convenisse; etiam adfuit in Concilio Hierosolymitano, Act 15. Fortasse aliquando venit etiam Corinthum, nam ibi exsistebat factio Cephœ 1 Cor 1,12; 3,22; cfr K 60. Anno 49 Claudius expulit e Roma omnes Judæos quia «impulsore Cresto» assidue tumultabantur K 39; Act 18,2; absque dubio etiam S. Petrus debuit exire, si tunc erat ibi. Cum Paulus venit Romanum captivus a. 60, fratres illius ecclesiæ occurrerunt ei, Act 28,15. De Petro nihil dicitur, fortasse non erat ibi. Neque annum martyrii cum certitudine scimus; alii ponunt a. 64, alii vero 67. Sed factum commorationis et mortis quæ accidit Romæ constat una cum testimonio traditionis.

**ADVERSARII.**—Petrum Romæ commoratum esse hodie paucis sunt qui negent. Aliqui critici moderni et Protestantes, schola tubinensis, Vetero-catholici... Episcopatum Romanum Petri negant omnes illi qui dicunt episcopatum esse fructum evolutionis ætatis posterioris.

**CENSURA.**—S. Petrus semper debet habere successores in Primum supra Universalem Ecclesiam; de facto hic successor est Romanus Pontifex: hoc est de fide divino-catholica definita D 1825. Sed quoniam in thesi agatur de nudo facto historico quod non videatur necessario tenendum ad custodiam hujus veritatis (nam Primatus Rom. Pontificis independens est ab hoc facto historico), nullam censuram theologicam damus.

#### PROBATIO.

I. *Quod S. Petrus Romæ commoratus est.*

Testimonia historica: Secundum traditionem evangelium S. Marii scriptum est Romæ secundum prædicationem romanam Petri R

95, 208, 439, 341. Examen internum operis videtur confirmare hanc opinionem: argumentum totius evangelii cfr Act 1,21; 10,37, modus narrandi vividus, proprius testis oculati, locutiones latinæ. Præterea scimus versus a. 60 Marcum fuisse Romæ, Col 4,10; Philem 24.

Testimonium 1 Petr est probabilissimum. Babylonia illa, 5,13, non potest esse nisi Roma; hæc appellatio erat familiaris judæis, ut constat ex Apocryphis et ex Apoc 14,8; 16,19; 17,5...; regiones quæ in titulo epistolæ indicantur sunt etiam hellenisticæ vel occidentales. Ex eadem epistola eruitur Marcum fuisse tunc comitem Petri 5,13, et ex alia parte scimus Marcum his annis commoratum esse Romæ (ex epistolis Pauli).

Jo 21,18 ss ibi sermo est de prædictione martyrii Petri a Domino. Prædictitur genus mortis. Cum evangelista scripsit, martyrium jam locum habuerat, ut eruitur ex modo loquendi. Quoad locum ubi passus est Petrus, evangelista nihil dicit, quia supponit rem esse valde notam lectoribus.

Clem. Rom. ad Cor., R 11. Loquens de malis quæ procedunt ex invidia, proponit exempla antiqua et coæva et inter hæc adducit martyrium Petri et Pauli; his aggregata est magna multitudo martyrum in persecutione Neronis. Totus contextus videtur supponere tam Petrum quam Paulum passos esse Romæ in persecutione Nero-niana.

Ignatius in epistola ad Rom., R 54 videtur alludere ad specialem relationem quam Ecclesia Romana habet cum Petro et Paulo, sicut in epistola ad Ephesios nominat Paulum, qui fuit fundator illius ecclesiæ.

Dionysius Corinthius K 60 asserit tam Petrum quam Paulum venisse Corinthum et Romam et in hac ultima civitate martyrium passos esse.

Fragm. Murat. dicit Lucam in Act narrasse ea quæ ipse vidit, excepta passione Petri et profectu Pauli in Hispaniam R 268, lin. 37 ss. Cum ageretur de scripto romano, non videbatur necessarium indicare passionem Petri Romæ accidisse.

Caius loquitur de sepulcris principum Apostolorum Romæ K 137.

Irenæus R 210, Tertullianus R 297, 341, Hippolytus, Origenes 428 etc.

Traditio liturgica et monumentalis.

Uno verbo: exsistit traditio unanimis et constans.

## II. *Quod S. Petrus fuit episcopus Romæ.*

Testimonia sunt duplicis generis: alia dicunt ecclesiam Romanam esse apostolicam, fundatam a Petro et Paulo; alia tribuunt soli Petro episcopatum hujus ecclesiæ.

Ignatius scribens ad Romanos nihil dicit de episcopo illius ecclesiæ neque de episcopatu romano Petri. Nominat tamen Petrum et Paulum ut qui specialem relationem habent cum illa ecclesia R. 54.

Hegesippus, volens cognoscere veram doctrinam et legitimam traditionem, Romam adiit et fecit catalogum episcoporum illius ecclesiæ R. 188.

Irenæus R. 208, 210, 211 ecclesiam Romanam ab apostolis Petro et Paulo fundatam dicit. Hi Apostoli successoribus episcopatum tradiderunt (dat catalogum successorum). Ut videtur, Irenæus unice intendit efferre originem apostolicam ecclesiæ Romanæ.

Tertullianus, magis accurate loquens, solum Petrum ponit tamquam primum episcopum romanum, R. 296, 297. Nota quod nec Irenæus nec Tertullianus ponunt apostolos intra seriem seu catalogum episcoporum, quia, tamquam apostoli, potiorem quamdam condicionem habebant, sed clarissime exhibent illos tradidisse potestatem episcopalem successoribus.

Cyprianus R. 575 vocat Romam Cathedram Petri.

Imagines et picturæ quæ produnt peculiarem relationem Petri ad ecclesiam Romanam.

## THESS XI

### **Episcopus Romanus est successor Petri etiam in ejus primatu, idque jure divino**

NEXUS.—Ex thesi præcedenti constat episcopum romanum esse successorem S. Petri in episcopatu illius ecclesiæ particularis. Nunc debemus investigare utrum hic episcopatus particularis includat insuper Primatum Universalem quem Christus contulit Petro. Aliis verbis, utrum in persona episcopi romani uiiantur duo munera hierarchica, episcopatus et primatus, vi legitimæ successionis quæ a S. Petro exordium sumpsit.

NOTIONES.—Notio Primatus etc., ut in th. V. Dicimus Romanum Pontificem exercere Primatum jure divino, quia agitur de munere a Christo perenniter instituto et collato Petro et ejus suc-

cessoribus. Alia quæstio est utrum connexio inter sedem Romanam et Primatum sit juris divini necne; hoc controvertitur inter theologos, affirmantibus aliis, aliis vero negantibus. De hac re Concilium noluit diefinire (cfr D 1825).

«*Jure divino*» = ex ipsius Christi institutione.

ADVERSARII.—Omnes acatholici, in specie schismatici Orientales, Protestantes, tam conservativi quam liberales. In specie illi qui non agnoscunt auctoritatem monarchicam Ecclesiæ, ut Conciliaristæ, Episcopaliste, Febroniani, Gallicani, Pistorienses, Vetero-Catholici etc (D 1323). Rationalistæ censem Primatum Rom. Pontificis ortum esse ex mere politicis conditionibus D 2056. Quoniam Roma erat caput Imperii, ecclesia Romana gaudebat quadam auctoritate et præce-llentia, initio de facto tantummodo, dein etiam de jure. Influxus et interventus episcoporum romanorum in componendis litibus et contro-versiis doctrinalibus fecit ut paulatim Primatus Romanus ab aliis ecclesiis agnosceretur. Cui agnitioni ut adstrueretur fundamentum bi-blicum, arripuerunt vel finxerunt pericopam de promissione Primatus ad<sup>o</sup> Petrum.

CENSURA.—De fide divina et catholica definita D 1825. Doc-trina Ses. IV Conc. Vat.: in Procœmio D 1821 circumscribitur finis et constitutio Ecclesiæ et principium ejus unitatis quod residet in Petro. Caput I D 1822 ss: Christus soli Petro tradidit Primatum; excluditur ergo episcopalismus vel democratia. Caput II D 1824: hic Primatus debet esse perpetuus et Romani Pontifices sunt successores Petri in hoc munere. Caput III D 1826-1831: describitur indoles, na-tura, ambitus etc. hujus Primatus.

### PROBATIO.

#### I. *Testimonia historica.*

Hic exhibentur testimonia historica inde a sæc. I usque ad an. 250, quæ demonstrant Primatum Rom. Pontificis ab Ecclesia Uni-versali agnatum esse.

*Epistola Clem. Rom. ad Cor. a. 96.* Seditio quædam facta in ecclesia corinthiaca adversus presbyteros, Clemens episcopus Roma-nus, non vocatus, intervenit, cum adhuc viveret S. Johannes Apos-tolus. Ecclesia Corinthiaca erat apostolica et Pontifex Romanus nul-lum titulum habere poterat ad interveniedum, excepta potestate pri-matiali. Ex toto tenore epistolæ apparet vera auctoritas: condemnat seditionem, exigit subjectionem; exigit obedientiam non tantum vi-caritatis sed vi auctoritatis R 11 ss. Clarissime apparet Clementem loqui tamquam qui habet veram auctoritatem. Quam diversus modus

loquendi Ignatii in suis epistolis exhortatoriis ad ecclesias! Corinthii bene receperunt hanc epistolam et mandatis Clementis esse subjecerunt.

*Epistola Ignatii Antioch. ad Rom. a. 107.* R 52 ss. Modus salutandi hanc ecclesiam est toto cœlo diversus a modo quo Ignat. salutat ceteras ecclesias. Ecclesia quæ præsidet cœtui charitatis, id est, Ecclesiæ Universalis. Verbum «agape» est valde usitatum ab Ignatio ut designet ecclesias particulares vel locales; ergo est synonimon ecclesiæ. «Alios docuistis...» «quæ docetis et præcipitis» R 53. Cum ipse moriatur, ecclesia antiochena non habebit alium episcopum præter Jesum Christum et charitatem Romanorum R 55. Haud obscure innuitur hic exercitium Primatus.

Tamquam argumenta influxus doctrinalis ecclesiæ Romanæ possunt citari Symbolum Apostolicum et Canon Murat. a. 180.

Constat præterea quod Ecclesia Romana mittebat litteras et ordinationes ad omnes ecclesias et considerabatur velut centrum omnium. Omnes ecclesiæ scribebant ad Romam et e Roma litteræ distribuebantur ad omnes. Non solum *commercium epistolare*, sed etiam *personale*; ad Romam confluunt undique christiani. Polycarpus, Hegesippus, Justinus, Tatianus, Irenæus, Origenes, Abercius R 187 venerunt Romam, ut viderent hanc antiquissimam et celeberrimam ecclesiam. Similiter multi hæretici, scientes doctrinas suas falsas faciliter propagatum iri si ecclesia Romana eas commendaret; ita Cerdon, Valentinus, Marcion, Florinus, Theodotus etc.

Aliud argumentum est etiam *computatio temporis secundum episcopatus romanos*, ut facta profana computabantur secundum imperatores. Ita e. gr. Irenæus narrat multa facta ecclesiastica determinans tempus quo acciderunt per episcopum qui tunc occupabat sedem romanam. Tam Hegesippus quam Irenæus vident aliquid peculiare in hac ecclesia, nam conficiunt catalogum episcoporum romanorum et diserte confitentur potiorem principalitatem hujus ecclesiæ et considerant eam apostolicam sensu plenissimo. Præterea ecclesia Romana juvabat omnes alias, damnabat hæreses, controversiæ undique versus subjiciebantur tribunal Romano. Marcion, Valentinus, Montanus... damnati fuerunt ab ecclesia Romana.

*Controversia de celebrando Paschate* a. 190. Victor episcopus romanus præcepit ut in omnibus provinciis celebrarentur synodi episcoporum ad decidendum de hac quæstione et ut decisiones suas mitterent ad Romam. Omnes ecclesiæ obœdierunt huic indicationi episcopi Romani inde ab urbe Edessana usque ad Lugdunensem. Sed Polycrates Ephesus et ceteri episcopi Asiæ nolunt relinquere suam

traditionem particularem et tunc Victor scindit eos a communione Ecclesiæ, neque recedit a proposito nisi rogatus ab Irenæo et aliis. Sed notandum quod nullus negat vel in dubium revocat potestatem quam episcopus Romanus habet hoc faciendi. In tota hac controversia clarissime apparet persuasio christianorum sæc. II Ecclesiam esse unam et ideo in ea omnes res deberi fieri «consonanter». Hæc unitas est socialis et realis et ideo non potest carere auctoritate quadam centrali et universalis.

Sed non omnes perspiciebant ambitum hujus Primatus vel auctoritatis centralis. Ita Polycrates Ephesinus sese opposuit decisioni episcopi Romani, dicebat enim: obediendum est Deo magis quam hominibus. Etiam Tertullianus qui cum esset catholicus agnoverat conditionem peculiarem ecclesiæ Romanæ R 297, postea, factus hæreticus, impugnavit ejus auctoritatem R 383, 387. Hippolytus Romanus accerrime impugnavit Calixtum Papam, sed in suis operibus inveniuntur præclara testimonia Primatus. Etiam Origenes, cum commentatur Mt 16,18 videtur ignorare auctoritatem primatialem Petri, sed visitavit ecclesiam romanam, et cum remctus esset e sua cathedra ab episcopo alexandrino tamquam suspectus in doctrina, scripsit ad varios episcopos, præsertim vero ad Romanum, defendens suam orthodoxiam.

Positio et sententia Cypriani in quæstione de Primatu non potest facile determinari. In suis scriptis inveniuntur textus in quibus agnoscitur hic Primatus, sed ex aliis apparet ipsum non clare perspexisse ambitum ipsius. Defendit unitatem Ecclesiæ contra schisma Novatiani; principium hujus unitatis sunt episcopi, tam in ecclesiis particularibus quam in Universalis, propter episcopatum unum et indivisum. Origo et manifestatio hujus unitatis est Petrus, sed ceteri apostoli habent eamdem potestatem ac Petrus R 555. In suis epistolis Primatus Petri apparet in oppositione cum potestate episcoporum R 571, 573. Sunt vero alii textus qui videntur favere Pr̄imatui R 574, 580. Apparet igitur sententia ambigua vel dubia. Cum Stephanus electus est episcopus romanus, Cyprianus scripsit ad eum epistolam ex qua clare apparet ipsum agnoscere superiorem auctoritatem ecclesiæ romanæ, nam rogat eum ut deponat Marciatum episcopum Galliæ. Sed postea, cum Stephanus præcepit episcopatum restituendum esse Basilidi et Marciali (hi erant episcopi hispani accusati ut libellatici) Cyprianus recusavit agnoscere illos tamquam veros episcopos. Dein accidit celebris illa controversia de baptismo hæreticorum R 592 a, 594. Cyprianus non acquievit solutioni Papæ, nec Firmilianus, episcopus Capadociæ, amicus Cypriani K 308. Hæc facta de-

monstrant exsistentiam Primatus, quamvis non omnes clare perpendent ambitum ipsius. Cyprianus habebat persuasionem suam sententiam esse veram et propterea restitit Papæ, quamvis aliunde non negaret superiorem auctoritatem episcopi Romani.

Etiam extra Ecclesiam nota erat auctoritas et potestas episcopi Romani. Decii imperatoris verba Cyprianus servavit, multo patientius et tolerabilius se audire «devari adversus se æmulum principem quam constitui Romæ Dei sacerdotem» K 279.

Ut recte perpendatur valor horum testimoniorum considerandum est tempus et status rerum in religione christiana illius ætatis. In illis primis temporibus non fuit necessarium ut exercitium Primatus nimis urgeretur, nam apostoli omnes habebant jurisdictionem universale et infallibilitatem personalem; et adhuc post mortem eorum, discipuli apostolorum habebant talem auctoritatem ut sufficeret ad hæreses vitandas etc. Sed transcurso temporis exercitium auctoritatis centralis et universalis magis necessarium evasit. Verumtamen nihil mirum quod hoc ipsum exercitium impugnaretur ab aliquibus, quia ratio Primatus nō erat clara vel ab omnibus non plene intellecta.

Uno verbo: 1.<sup>o</sup> Idea Ecclesiæ Universalis et ejus unitatis est in mente omnium christianorum inde ab ævo Apostolorum. 2.<sup>o</sup> Ratio et origo et centrum hujus unitatis est ecclesia Romana. Tam commercium epistolare quam personale clare indicat prærogativam peculiarem hujus ecclesiæ. 3.<sup>o</sup> Ecclesia Romana et ejus episcopus exercent Primatum, qui agnoscitur ab Ecclesia. 4.<sup>o</sup> Tamquam fundamentum hujus jurisdictionis numquam indicantur rationes politicæ sed tantum religiosæ, id est, successio S. Petri.

## II. Argumentum sic dictum illativum.

Primatus semper debet existere in Ecclesia Christi, quia est munus perenniter institutum. Hæc voluntas Christi frustrari nequit. Ergo in Ecclesia semper erit Primas conscientius sui muneris, qui sibi tribuat hanc potestatem et exerceat et ab Ecclesia agnoscatur tamquam Primas. Jamvero, præter episcopum Romanum, nullus alius inventur qui constanter vindicaverit pro se hunc Primatum et ab Ecclesia agnosceretur. Si Romanus Pontifex non est, nemo est. Atqui aliquis debet esse. Ergo... Quod Romani Pontifices semper vindicarunt pro se Primatum: cfr D Index Systematicus III b. Quod Ecclesia semper agnovit talem Primatum: cfr R Index Systematicus n. 58. Similiter Concilia, usque ad Vat.

*Scholion. — Condiciones historicæ ecclesiæ Romanae.* Adversarii explicant Primatum Romanum ex adjunctis politicis et historicis hujus ecclesiæ; sed adjuncta historica non explicant nec ideam ipsam

Primatus et fontes non dant aliam explicationem hujus facti nisi religiosam. Constat —dicunt adversarii— quod ecclesia Romana jam inde ab initio florebat numero et qualitate asseclarum, organisatione etc. Quoniam Roma erat caput Imperii, undique christiani confluebant ibi. Nihil mirum quod ecclesia hujus civitatis considerata fuerit tamquam centrum et influxum haberet supra alias. Sed ad hoc responderetur: praeceps desideratur hoc ipsum quod probandum est, nam influxus et auctoritas quibus de facto gaudebat haec ecclesia, utrum fuerint origo Primatus an vero ejusdem sequela in quaestione est. Idea ipsa Primatus est aliquid exclusivum religionis christianæ, et cur non apparet in aliis religionibus (puta in judaica vel pagana) quæ similiter habebant suos asseclas per totum Imperium? Adjuncta natura non magis favebant Romæ quam aliis civitatibus, ut Alexandria, Ephesus et præsertim Antiochia. Et quoniam fontes nullam explicationem dant præter successionem Petri, haec debet esse vera et unica ratio.

Tempore progrediente clarius et frequentis Primatus sese manifestabat et Ecclesia eum formaliter et explicite considerabat ut fundamentum suum, ita quidem ut Primatus factus sit tessera Ecclesiæ Catholicæ: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia Christi.*

## APPENDIX

### De sententiis Protestantum ad Ecclesiam quod attinet

I *Errores ante Lutherum.* Waldenses: eæ conceptu perfectionis christianaæ (paupertatis) exaggeratæ pervenerunt usque ad negationem Hierarchiæ et cultus Ecclesiæ Catholicæ, cfr D 423,-6,-30,-33,-4. Bergardi et beguinæ D 473. Fraticelli: theoria duarum ecclesiarum, carinalis alia et alia spiritualis D 485, -6, -9. Marsilius Patavinus: hic negavit omnem hierarchiam D 496: imperator est caput Ecclesiæ, tamquam mandatarius plebis christianæ. Wiclef: Ecclesia constat ex solis prædestinatis; Ecclesia Romana est synagoga Satanae D 588, 617, 610. Hus: D 627, 647, 629, 631. Negatur omnis prorsus hierarchia et auctoritas, impossibile redditur exercitium auctoritatis ecclesiasticæ, nam status gratiæ et prædestinatio non potest cognosci nisi per revelationem. D 636, 633, 648, 656. Nulla auctoritas præter Sacram Scripturam, cuius sensum Spiritus Sanctus aperit prædestinatis. D 657 ss. Conciliarismus seu theoria secundum quam Concilium Universale est supra Papam. D 717, 730-1, 740.

II *Doctrina Luther* (1483-1546). Doctrinæ quas Luther paulatim evolvit de Ecclesiæ natura etc non ortæ sunt ex considerationibus rationalibus nec multo minus ex considerationibus historicis, nam consideratio historica prorsus abest a mente Luther. Sua doctrina de justificatione dedit ansam aliis negationibus. Ut influxum depressionis psychicæ evaderet, efformavit theoriam de justificatione (quam in epistola ad Rom. doceri sibi persuaserat) secundum quam opera nihil inserviunt, justitia propria non est nisi superbia, justi simus per fidem fiducialem in meritis Christi. Quoniam hæc doctrina erat contraria Ecclesiæ, Luther debuit aut renuntiare suæ doctrinæ aut renuntiare Ecclesiæ, et elegit hoc ultimum. Paulatim debuit negare auctoritatem doctrinalem Papæ, Conciliorum etc D 765-770 et unice admisit Sacram Scripturam, interpretatam auxilio Spiritus Sancti. Sed postquam destruxit Ecclesiam, expertus est necessitatem practicam creandi propriam ecclesiam seu organisationem religiosam. Quoniam negaverat omnem auctoritatem, debuit committere auctoritati civili regimen ecclesiæ; ecclesia prædicatione debet homines reddere bonos; omne jus, ut sæculare quid, arcet ab ea. Controvertitur utrum Luther admisit Ecclesiam visibilem necne; quoad hanc rem videtur sibi ipsi contradicere. Sunt multi textus in suis scriptis qui supponunt Ecclesiam internam et invisibilem —Ecclesiam Sanctorum—, sed aliunde agnoscit multa elementa esse visibilia et exsistere vincula externa quæ uniant fideles, et hos efformare quamdam societatem, quæ est visibilis et dignoscibilis per alias notas, quæ ad duas reducuntur: ad puram doctrinam et ad recta sacramenta. Ideo Luther admittit duas Ecclesias, visibilem et invisibilem. Quomodo sese habent inter se hæc duæ Ecclesiæ, Luther non solvit nec poterat solvere ex suis principiis. Hinc evolutio posterior Protestantismi profitet religionem non-ecclesiasticam et non-dogmaticam.

### III *Sententiæ Protestantium modernorum.*

a) *Conservativi.* Köstlin (1826-1902). Christus prædicavit Regnum Dei tamquam statum vitæ; omnes illi qui vivunt secundum hanc doctrinam naturaliter conjunguntur aliquo vinculo inter se, et odiunt ex parte mundi magis ac magis unit eos. Sed Christus nullam formam determinavit tamquam essentialiem pro communitate asseclarum suorum; Ipse nullam organisationem, auctoritatem, Primum, Apostolatum etc dedit Ecclesiæ. Apostoli nihil aliud sunt nisi præcones Evangelii, nulla jura habent præ aliis discipulis Christi. Non existit sacerdotium ad instar ordinis levitici V. Test. Essentia Ecclesiæ non est ligata cum aliqua constitutionis forma. Diversæ communites erant independentes inter se; unum vinculum caritatis con-

jungebat eas ; singulæ communitates gubernabantur absque ullo munere ecclesiastico vi charismatum. Apud Patres Apostolicos prima vestigia inveniuntur quæ indicant depravationem ideæ Ecclesiae et ita orta est Ecclesia Catholica.

Bürckstümmer. Apostoli nihil aliud erant nisi prædicatores Evangelii, nullum munus habebant præter hoc, nec munus prædicandi erat exclusive proprium eorum, nam omnes christiani poterant prædicare. Cœna Domini celebrabatur probabiliter a patribus-familias. Communitates regebantur democratice ; Barnabas et alii Act 11,22 apparent tamquam mandatarii communitatis ; exsecutio pœnæ est penes communitatem Mt 18,15. Paulus nihil faciebat auctoritative, sed vel procedit simul cum communitate 1 Cor 5,3, vel excludit præceptum strictum 2 Cor 8,8, vel ostendit totam vitam socialem fundari in charismatibus 1 Cor 12, inter quæ donum regiminis 12,28 nitide distinguitur ab apostolatu. Unum illud erat apostolis proprium, quod sciaret viderint ipsum Christum ; sed minime inde fluit auctoritas ulla.

b) *Liberales*. Augustus Sabatier (1839-1901). Ecclesiam Catholica vocat religionem auctoritatis in oppositione ad religionem spiritus seu libertatis. Differentia inter has duas religiones est in eo quod prior sequitur methodum auctoritatis, altera vero experientiae, id est, judicat de doctrina aliqua secundum suum valorem internum, expertum seu perceptum ab ipso homine. Christus fuit auctor talis religionis, Ipse damnavit principium hierarchiae religiosæ seu sistema submittendi conscientiam quorumdam tutelæ aliorum. Veritates divinæ quas Ipse edocebat sunt realitates quas Ille expertus est ut veras et hominibus imponuntur per suum intrinsecum valorem. Christianus esse nihil aliud est quam experiri experientiam internam Christi. Omnis auctoritas externa, omnis hierarchia religiosa e medio auferrri debet. Jesus noluit Ecclesiam. Ecclesia est fructus evolutionis posterioris.

En gradus hujus evolutionis, juxta Harnack. In Ecclesia Catholica 1.<sup>o</sup> fides transformata fuit in doctrinam revelatam simulque philosophicam, quæ ut apostolica traditur, et 2.<sup>o</sup> æquiparata est Ecclesia empirica cum vera Ecclesia Christi. Initio prædicatores verbi Dei habebant summum gradum auctoritatis in ecclesiis, sed non accipiebant munus vel officium aliquod. Dein, quia in omni communitate naturaliter accidit ut majores natu vel illi qui primo amplexi sunt secundam, quamdam majorem auctoritatem nanciscantur, ita orti sunt presbyteri ; sed neque hi habebant jus aliquod ; eorum missio erat tantum moralis-disciplinaris. Demum, quoniam communitas egebat personis aptis ad diversa ministeria obeunda, aliqui eligebantur et vo-

abantur præpositi, episcopi etc; non erat eis jus stricte dictum nec functio doctrinalis, unice gerebant negotia temporalia communitatis. Sed jam Clem. Rom. ad Cor. invocat jus divinum et æquiparat hunc ordinem cum hierarchia Vet. Test. Et ita paulatim perventum est ad episcopatum monarchicum. Communitates egebant aliquo qui eas præsideret, repræsentaret, functiones liturgicas ageret, invigilaret doctrinæ. Ita ecclesiæ paulatim constituebantur monarchice et auctoritas episcopi considerabatur tradita per successionem Apostolorum.

Secundum v. Soden in primitivo Christianismo jam apparent germina Catholicismi: ideo non est redeundum ad illum, sed unice ad ipsum Jesum, ad ejus religionem seu experientiam religiosam.

## TRACTATUS III

### DE NATURA SUPERNATURALI ET DE PROPRIETATIBUS ECCLESIAE

Postquam ex præcedentibus constat jam nobis factum fundationis Ecclesiæ a Christo et novimus etiam formam regiminis quam Ipse dedit ei, nunc debemus investigationem ducere ad naturam intimam, supernaturalem Ecclesiæ, prout ex fontibus ipsis deducitur, et ad proprietates seu notas et ad quædam alia consecaria quæ ut tota materia completa habeatur tangi debent. Agemus igitur in sequentibus thesibus : 1 De fine Ecclesiæ, 2 De Ecclesia societate perfecta, 3 De Ecclesia ut Corpore Christi Mysticæ, 4 De membris Ecclesiæ, 5 De necessitate Ecclesiæ, 6 De unicitate et discernibilitate Ecclesiæ, et tandem, 7 De via notarum et de via empirica ad dignoscendam veram Christi Ecclesiam.

#### THESIS I

**Finis Ecclesiæ est ut homines per eam et in ea salutem  
supernaturalem consequantur**

NEXUS.—Scimus jam ex præcedenti tractatu qualem constitutionem seu formam regiminis habeat Ecclesia per voluntatem Christi. Nunc, volentes investigare naturam intimam Ecclesiæ, agimus primo de fine ipsius, quia natura alicujus societatis cognoscitur ex ejus fine seu bono sociali ad quod obtainendum fundata est.

NOTIONES.—*Finis* : id cuius gratia aliquid fit. Distinguitur proximus et remotus. Proximus est ille qui immediate ab agente obtainendus intenditur : in Ecclesia hic est salus inchoata per fidem et

gratiam. Remotus : qui mediante assecutione proximi attingitur : in Ecclesia hic est salus consummata, visio et fruitio Dei in altera vita.

*Salus supernaturalis*, id est, bonum quod absolute transcendent omnia jura et exigentias naturae creatae ; hoc bonum in concreto est unio hominis cum Deo, quae transcendent ambitum naturalem. Unio supernaturalis dividitur in primam seu inchoatam (per fidem et gratiam, propria hujus vitae) et secundam seu consummatam (per gloriam, quae habetur in altera vita).

Sensus proinde theseos est hic : salutem quam Christus meritus est nobis et hominibus applicari voluit, debent homines adipisci mediante Ecclesia (id est, per media salutis quae ipse Christus posuit in ea) et intra Ecclesiam, id est, ab illis qui sunt membra Ecclesiae.

ADVERSARII.—Rationalistæ et omnes qui negant supernaturale. Protestantes, qui censem Deum directe et immediate sanctificare unumquemque hominem, absque ullo interventu Ecclesiae.

CENSURA.—De fide divina et catholica ex Sacra Scriptura et ex magisterio ordinario et universali. Cfr. D. 1821, 1955, etc.

PROBATIO.—Finis Ecclesiae est continuare ipsam missionem Christi. A finis missionis Christi est salus hominum supernaturalis. E.

Maj. Jo. 17,18 ; 20,21 ; Mt. 28, 18-19 ; Lc. 10,16 ; 1 Cor. 3,5 ; 1 Cor. 4,1.

Min. Mt. 1,21 ; Lc. 19,10 ; Jo. 3, 14-18 ; 6,39 ; Act. 4,12 ; Gal. 4, 4-7 ; 1 Jo. 4,10 ; 3,1 ; 5,11.

Potestates ecclesiasticæ totæ quantæ ordinantur ad assecutionem hujus salutis supernaturalis.

Coroll.—Ex fine specificatur societas ; ergo Ecclesia est supernaturalis.

## THESIS II

**Ecclesia est societas perfecta et absolute independens, cum plena potestate legislativa, judiciaria et coercitiva**

NEXUS.—Novimus jam finem Ecclesiae. Nunc querimus utrum Ecclesia sit societas perfecta et independens, cum triplici potestate legislativa, judiciaria et coercitiva, quae omnia ex fine deducuntur.

NOTIONES.—1.<sup>o</sup> *Societas perfecta* est illa cuius finis est bonum hominum in suo ordine supremum et quae possidet media sufficientia

ad finem obtinendum. In concreto unice Ecclesia et Status sunt societates perfectæ. *Imperfecta* ergo erit illa quæ ratione finis est pars alterius vel subordinata societati altiori, et ratione mediorum eget alterius societatis quæ ei præbeat media ad assecutionem finis: ita provincia, diœcesis, Ordo religiosus, familia. *Societas completa* dicitur illa quæ habet pro fine procurare homini bonum et corporis et animæ. *Incompleta*, si tantum curat unum ex his duobus bonis. Exemplum societatis completæ, familia; incompletæ, Ecclesia et Status.

2.<sup>o</sup> *Societas independens*.—Illa dicitur cuius auctoritas suprema non est subordinata auctoritati alterius societatis. Exemplum, Ecclesia et Status. *Dependentia* alia est directa, alia indirecta. Directa dicitur illa qua auctoritas est subordinata ratione sui alteri auctoritati superiori; e. gr. episcopus diœcesis vel gubernator provinciæ. Indirecta est illa quæ auctoritas, non ratione sui sed tantum ratione finis altioris ad quem subditi sui ordinati sunt, subordinatur alteri auctoritati ordinis superioris; e. gr. pater-familias auctoritati Status, auctoritas Status Ecclesiæ. *Absolute independens* est illa societas cuius suprema auctoritas non est subordinata alteri nec directe nec indirecte; talis est unice Ecclesia.

3.<sup>o</sup> Potestas regendi in societate perfecta secum fert triplicem functionem legislativam, judiciariam, coërcitivam. *Legislativa* est potestas leges ferendi, id est, imponendi ordinationes stabiles, quæ obligent membra societatis perfectæ, finem socialem efficaciter consequendi causa. *Judiciaria* est potestas decidendi auctoritative de sensu legum, de litibus civium et de transgressionibus legum. *Coërcitiva* seu coactiva dicitur potestas obligandi subditos ad observantiam legum per exactionem poenarum transgressionibus impositarum. Poenæ intelliguntur sensu proprio, id est, quæ infliguntur invitatis. Non requiritur ut sint temporales; possunt etiam esse poenæ spiritalles.

ADVERSARII. — Nationalistæ exaggerati omnium temporum, qui negant vel minuunt independentiam Ecclesiæ. Præcursores Gallianismi: Philippus Pulcher D 468 nota, Marsilius Patavinus D 495, 497, 499. Wiclef et Hus D 592, 593, 596, 681-3. Protestantes, cum sua sententia: cuius regio, illius et religio. Gallicani rigidi cum Richer, et mitigati D 1322, 1324. Josephinistæ, Pistorienses D 1504. Liberalismus, Laicismus, Statismus communistarum, etc.

CENSURA.—Doctrina catholica D 1867, 1869, 1739, 2203. Benedictus XV cum edidit Codicem Juris Canonici. Mystici Corporis n. 30. Definitioni proxima, quia definitio parabatur in Vat.

## PROBATIO:

### I. *Quod Ecclesia sit societas perfecta.*

Ecclesia habet tamquam finem salutem supernaturalem hominum et ut media triplicem potestatem hierarchicam sanctificandi, docendi et regendi. Hic finis est summus, bonum maximum hominis. Media accepit directe a Deo, et sunt media sufficientia ad finem, tum quia Deus nulla alia contulit ei, tum per assistantiam divinam promissam Mt. 28,19.

### II. *Quod sit societas absolute independens.*

A) Suprema auctoritas Ecclesiae neque ratione sui neque ratione finis altioris subordinatur alteri auctoritati sociali. Non ratione sui, quia Ecclesia est juris positivi divini, est hierarchica et universalis et habet pro se assistantian Dei protegentem. Non ratione finis, quia non exsistit finis socialis altior fine Ecclesiae.

B) Dependentia alicujus personae moralis respectu alterius fundatur in eo quod prior sit creatio alterius vel saltem dependet ab ea in sua exsistentia et vita. Jamvero, Ecclesia non fuit creata a Statu nec dependet ab eo in sua exsistentia. Ecclesia condita fuit a Deo absoluta cum independentia respectu auctoritatis civilis, Ipse præcepit ut Ecclesia propagaretur etiam renuente et reluctante auctoritate civili, plantata fuit non obstantibus persecutionibus; et demum, cum acta est pacem, Patres indesinenter clamaverunt contra intromissiones Imperatorum et propugnarunt absolutam independentiam Ecclesiae.

### III. *Quod Ecclesia gaudeat potestate legislativa, judiciaria et coërcitiva.*

A) Christus dedit Apostolis potestatem regendi amplissimam et supremam. Haec vero potestas in societate perfecta est vera potestas jurisdictionis cum triplici functione legislativa, judiciaria et coërcitiva. Potestatem judicandi et puniendi in specie respicit locus ille Mt 18,17: dic Ecclesiae, sit tibi sicut ethnicus... Confirmatur etiam ex praxi Apostolorum 2 Thes 3,4.6.14; 1 Tim 5, 9-12.19; 1 Cor 4,19-5,13; 2 Cor 13, 1.2.3.10 etc.

B) Ecclesia semper exercuit has potestates. Sufficiat in memoriam revocare historiam legislationis ecclesiasticae, inde a Concilio Hierosolymitano Act 15 (in quo habemus exercitium potestatis legislativæ) usque ad hodiernum Codicem Juris Canonici. Innumerabilia Concilia, Bullæ, Decretalia etc. In CJC tres priores libri agunt de potestate legislativa, quartus de judiciaria, quintus de coërcitiva.

C) Si Ecclesia est societas perfecta et independens, necessario debet habere hanc triplicem potestatem, quia, supposita diversa indele hominum et eorum inconstantia, passionibus etc. ad efficacem assecutionem finis socialis necesse est imponere media obligatoria, lites et dubia dirimere et sones punire ut cives arceantur ab inobseruantia legum.

*Schol.* Relationes inter Ecclesiam et Statum.

### THESIS III

#### **Ecclesia est Christi Capitis Corpus Mysticum, cuius quasi-anima est Spiritus Sanctus**

NEXUS.—Pervenimus jam ad naturam intimam, supernaturalem Ecclesiæ. Revera definitio seu descriptio illa qua Ecclesia dicitur Corpus Christi mysticum aptissima est ad revelandam naturam supernaturalem hujus societatis et ad manifestandas divitias absconditas in sinu Ecclesiæ.

NOTIONES.—Notandum imprimis quod agitur de locutione metaphorica, quamvis aptissima ad exprimendam relationem et unionem supernaturalem exsistentem inter Christum et christianos et eam quam habent christiani inter se. Christus est respectu Ecclesiæ quod caput est respectu corporis, id est, membrum principale, regens, aniens, influens vitam in corpus.

*Corpus mysticum* dicitur ut distinguatur a corpore physico et a corpore pure morali. In corpore physico membra non habent subsistentiam propriam. Corpus mere morale est illud in quo unitas tantum est ab extrinseco ex unitate finis et communis conspirationis in illum: ita sunt societates humanæ. Corpus mysticum non est physicum sed morale, sed non mere morale, quia in illo exsistit principium aliquod reale et internum, influens vitam omnibus membris. Hoc principium internum quod ex Christo fluit in membra est Spiritus Sanctus. Sed membra hujus corporis mystici habent subsistentiam propriam.

Spiritus Sanctus est respectu Ecclesiæ quod anima est respectu corporis, scilicet, principium radicale et primum ejus vitæ cum suis gratiis etc. Dicitur *quasi-anima*, quia non unitur substantialiter cum corpore mystico, sicut anima unitur cum corpore physico; sed effi-

cienter operatur effectus similes effectibus quos anima operatur formaliter in corpore humano.

ADVERSARII. — Dantur in re duo errores oppositi inter se. 1.<sup>o</sup> Naturalismus, pro quo Ecclesia non est nisi societas aliqua constans ex vinculis juridicis et socialibus, sicut ceterae societates humanae. 2.<sup>o</sup> Falsus mysticismus, qui exaggerat divinizationem hominis per gratiam et vult unitos in una eademque persona physica Christum et membra Ecclesiæ et his tribuit proprietates divinas. — Quod gratia, non Spiritus Sanctus, dicenda sit anima Ecclesiæ censem sat multi theologi catholici; sed quoniam tandem aliquando, fere idem exprimitur in utraque sententia, nos hic abstrahimus ab hac quæstione.

CENSURA.—1.<sup>a</sup> Pars, De fide divina et catholica. Cfr D 468, 875, 895, Leo XIII Divinum illud, Pius XII Mystici Corporis. 2.<sup>a</sup> Pars: doctrina catholica ex Mystici Corporis et Divinum illud.

#### PROBATIO.

1.<sup>o</sup> *Quod Ecclesia sit Corpus Christi Mysticum.*

Ex epistolis S. Pauli 1 Cor 12, 12-13. Sicut corpus est unum, etsi habeat multa membra, sic est Christus (Ecclesiam vocat Christum), nam omnes baptizati fuimus ut unum corpus efficiamus, etc. Et in v. 27: Vos estis corpus Christi et membra ejus.

Ephes 1,22-23. Christus Caput Ecclesiæ. Ecclesia est Corpus Christi et ejus «pleroma»: complementum, plenitudo.

Ephes 4,4-16 unum corpus efficimus omnes et caput est Christus, qui est principium vitæ et sustentationis Corporis. Cfr etiam Col 1,24; 2,19. Eadem realitas exprimitur Jo 15,1-5 sub imagine vitis et palmitum.

Ephes 5,22-33, Christus Caput Ecclesiæ, Ecclesia Corpus Christi. Vir debet diligere uxorem suam ut carnem suam. Ita Christus diligit Ecclesiam, quia sumus de carne ejus et de ossibus ejus.

2.<sup>o</sup> *Quod Spiritus Sanctus sit quasi-anima Corporis Mystici.*

A) Sicut anima est substantia spiritualis, existens definitive in corpore (tota in toto et tota in singulis partibus), intrinsece independens ab eo tam in esse quam in operari, elevans corpus ad ordinem viventis vita rationali; ita Spiritus Sanctus existit definitive in Corpori Mysticō, sed ut Persona divina est absolute independens ab eo (ideo dicitur inhabitare in anima tamquam in Templo), elevat Corpus Mysticum ad ordinem viventis vita supernaturali.

B) Spiritus Sanctus apparet in fontibus tamquam auctor Humanitatis Christi et mysterii Incarnationis et totius activitatis Jesu in

tota sua vita Cfr Lc 1,35 ; 4,16-21. Similiter in primordiis Ecclesiae Cfr Act passim.

C) Anima est principium vitale hominis et ex ea procedit vita specificum humana, id est, vita rationalis. Similiter vita specificum christiana seu supernaturalis procedit ex Spiritu Sancto; ipse est principium gratiae gratum facientis, gratis datae etc. Ipsi tribuntur omnes fructus vitae supernaturalis.

N. B. Spiritus Sanctus dicitur quasi-anima, quia Ipse non unitur substantialiter Corpori Mysticō, tamquam forma, et ita non formaliter sed efficienter operatur effectus vitales Corporis Mysticī. Gratia vero multo minus potest dici anima Corporis Mysticī, quia haec non est principium unicum unitatis et activitatis Corporis Mysticī, non est substantia, non est intrinsece independens ab anima fidelis; potius est effectus ab alio productus in Corpore, et ita augetur, minuit, disparet etc. Triplicem activitatem propriam hujus Corporis possunt exercere sub assistentia Spiritus Sancti ministri gratia carentes. Activitas alliciendi eos qui foris sunt non provenit ex gratia, quam illi adhuc non habent, sed ex Spiritu Sancto.

*Scholion.* Compendium doctrinæ de Ecclesia in Encycl. Mysticī Corporis. 1.<sup>a</sup> Pars. Expressio illa qua Ecclesia vocatur Corpus Christi Mysticum est optima definitio ejus (n. 6). Corpus: ergo Ecclesia est quid unum, visibile, externum, constans ex multis organis (n. 7). Inter organa seu membra præcipua citari debent gradus hierarchici (n. 8). Illorum triplex potestas docendi, sanctificandi et regendi (n. 8, n. 13, n. 20, lex fundamentalis Ecclesiæ n. 16). Qui sint membra hujus Corporis (n. 10). Peccatores sunt membra Corporis Ecclesiæ (n. 10). Hoc Corpus dicitur Christi, quia Ipse fundavit Ecclesiam: quandonam fundavit (n. 11-14), quia est Caput ejus (Romanus Pontifex, caput vicarium n. 17; episcopi in ecclesiis particularibus: jurisdictionem accipiunt a Romano Pontifice n. 18). Salvatio multorum pendet a voluntariis sacrificiis membrorum Corporis Mysticī (n. 19). Munus Ordinum Religiosorum (n. 20). Christus, tamquam Caput, influit vitam in Corpus (n. 25). Hoc principium vitale est Spiritus Sanctus, qui est anima hujus Corporis (n. 26). Hoc Corpus dicitur mysticum: notio corporis physici, pure moralis et mystici (n. 28-29). Principium internum exsistens in hoc corpore mystico est Spiritus Sanctus (n. 29). Ecclesia societas perfecta (n. 30). Ecclesia iuridica et Ecclesia caritatis (n. 30).—2.<sup>a</sup> Pars: Unio fidei cum Christo. Inhabitatio Spiritus Sancti in anima; omnia dicenda sunt communia tribus Personis, non debet exaggerari diviniza-

tio hominis per gratiam (n. 35). Visio beatifica et inhabitatio (n. 35).  
3.<sup>a</sup> Pars: Errores ex mala intelligentia hujus doctrinæ. Agitur de  
metaphora (n. 37).—Epilogus: Relationes Beatæ Mariæ Virginis ad  
Corpus Christi Mysticum.

## THEISIS IV

**Membra Corporis Ecclesiæ sunt omnes et soli baptizati, iis exceptis  
qui hæresi manifesta vel schismate vel etiam excommunicatione per-  
fecta ab unione cum Ecclesia impediuntur**

NEXUS.—Postquam vidimus naturam supernaturalem Ecclesiæ  
nunc inquirimus qui sint membra hujus Corporis Mystici.

NOTIONES.—«Membra Corporis Ecclesiæ» dicitur in oppositio-  
ne ad animam Ecclesiæ. (Qui pertineant ad animam, cfr. Minges  
n. 269). Hic respicitur Ecclesia ut societas hominum visibilis et ex-  
terna.

«Baptizati»: agitur de baptismo rite collato, quamvis non fuerit  
nec validus nec fructuosus. Rite, id est, cum totus ritus externus  
perficitur; exsistentia condicionum internarum præsumitur; ideo si  
aquis rite sed invalide baptizatus est, Ecclesia, ut societas hominum  
externa, habet eum ut membrum, donec defectus alicujus condicio-  
nis essentialis positive probetur in casu.

Causæ impedientes unionem baptizatorum cum Ecclesia: *Hære-  
sis manifesta*: hoc est peccatum illorum qui post susceptum baptis-  
tum pertinaciter negant aliquam ex veritatibus fidei aut dubitant  
(CJC 1325,2). *Schisma*: peccatum illorum qui post susceptum bap-  
tismum renuunt sese subjicere Summo Pontifici vel nolunt vivere in  
communione cum membris ipsi subjectis. *Excommunicatio perfecta*:  
censura qua aliquis nominatim excluditur a Sede Apostolica ex fide-  
lium communione et per publicam sententiam declaratur vitandus  
(CJC 2257-2260). Hæ causæ non sunt nisi impedientes; si auferantur,  
ipso facto unio reinstituatur.

ADVERSARII.—Calvinus et alii hæretici qui asserebant unice  
prædestinatos vel christianos gratia ornatos esse membra Ecclesiæ.  
Multi moderni, qui conceptum genuinum Ecclesiæ pervertentes, cen-  
sent veram Christi Ecclesiam componi ex confœderatione omnium ec-  
clesiarum christianarum, ideoque omnes quotquot aliquo modo in Chris-  
tum credunt esse membra veræ Ecclesiæ Christi: ita asseclæ Ecclæ-

siæ tripartitæ vel Panchristianismi.—Inter teologos catholicos exsistunt etiam discrepantiae et diversæ opiniones in accidentalibus.

CENSURA. — Saltem doctrina catholica quoad omnes partes; quoad baptismum, definitum. D 696, 860, -1, -3, -4, -9, -70, 1641. Mystici Corporis (n. 10).

### PROBATIO.

I *Quod baptismus facit membrum Ecclesiæ.*

Quod omnes baptizati sunt membra Ecclesiæ 1 Cor 12,13 baptizati efficiunt unum corpus. Gal 3,27-8; Col 2,11; Ephes 4,4.

Quod soli baptizati sunt membra Ecclesiæ. Jo 3,5 nisi quis renatus... Mt 28,19 euntes... baptizantes... Mc 16,15; Act 2,41. R 220, 1228, 1715.

Ad confirmationem: sufficit baptismus, nam pueri nihil aliud accipiunt et sunt membra Ecclesiæ (CJC,87). Quod requiritur baptismus: incorporatio ad Ecclesiam nihil aliud est quam regeneratio seu renascentia qua homo fit filius Dei et frater Christi; jamvero hoc non obtinetur nisi per baptismum.

II *Quod tres illæ causæ impedian ab unione cum Ecclesia.*

Non sunt membra Corporis Ecclesiæ illi baptizati in quibus triplex illud vinculum sociale fidei, regiminis et communionis in cultu aperte seu manifeste rumpitur. Jamvero in haereticis rumpitur vinculum fidei, in schismaticis vinculum regiminis, in excommunicatis perfectis vinculum participationis in cultu. Christus posuit triplicem potestatem tamquam aliquid essentialie in constitutione Ecclesiæ et nimis evidens est hoc triplex vinculum dissolvi in casibus citatis.

In specie quoad haereticos 1 Jo 2,18-19.22, R 298. Controversia de rebaptizandis haereticis supponit quod non considerabantur membra Ecclesiæ. Et revera, si essent, actum esset de unitate Ecclesiæ.

Quoad schismaticos Mt 18,18, R 1562, D 230. Si schismatici essent membra, actum esset de unicitate Ecclesiæ.

Quoad excommunicatos perfectos 1 Cor 5,3-5; 2 Jo v. 10-11. Gregorius I: melius est ejicere ovem ex ovili ut non inficiantur omnes. Gregorius VII: eum excommunicamus et separamus e gremio Ecclesiæ... segregati estis e consortio membrorum Christi...

Scholion. Quæstiones disputatae apud theologos. Sententiæ Bellarmini, Billot et Suarez.

## THESIS V

**Ecclesia est omnibus hominibus necessaria ad æternam salutem,  
etiam medii necessitate**

NEXUS.—Obligationem pertinendi ad Ecclesiam constat jam ex præcepto Christi quo præcepit ut omnes homines sese subjicerent potestati hierarchicæ Apostolorum et eorum successorum (Mt 28,18). Nunc investigamus naturam hujus necessitatis pertinendi ad Ecclesiam.

NOTIONES.—*Necessarium ad salutem* dicitur illud sine quo salus obtineri nequit. *Necessarium necessitate præcepti* ad salutem est illud cuius culpabilis omissio impedit assecutionem salutis; qui non habent usum rationis, qui ignorant vel non possunt implere præceptum vel legitime sunt dispensati, salvantur, quia omissio talium est inculpabilis. *Necessarium necessitate medii* ad salutem est illud a quo assecutio salutis pendet tamquam a causa vel a condicione sine qua non; ideo neque ignorantia neque incapacitas neque dispensatio potest excusare; si omittatur, etiam sine culpa, finis obtineri nequit. Res aliqua potest esse necessaria necessitate medii duplici modo: *absolute* seu *in re*, vel *disjunctive*, id est, *vel in re vel in voto*. *In re* = cum nullatenus potest suppleri, quia res ipsa est necessaria, e. gr. gratia sanctificans ad hoc ut homo fiat amicus Dei. *Vel in re vel in voto* = cum defetus rei potest suppleri alia re vicaria quæ habet virtutem rei requisitæ et cum voto adhibendi ipsam rem. Hoc votum potest esse explicitum et etiam implicitum (e. gr. actus perfectus caritatis, dispositio observandi illa omnia quæ Deus præcipit).

Hæc necessitas medii potest oriri vel ex natura rei vel ex positiva institutione illius qui habet potestatem talem nexum statuendi inter finem et medium. Dicimus igitur Ecclesiam esse ad salutem necessariam non solum necessitate præcepti, sed etiam medii necessitate, non ex natura rei, sed ex Dei voluntate positiva; non absolute seu *in re*, sed utique saltem *in voto*, et hoc votum potest esse implicitum.

ADVERSARII. — Indifferentistæ, pro quibus homo, dummodo vitam honestam agat, in qualibet religione potest salvari. Asseclæ ecclesiæ tripartitæ D 1685, panchristiani D 2199.

CENSURA. — Quod ad salutem consequendam necessarium sit pertinere ad Ecclesiam, dogma fidei. Quod sit necessitas medii, theologicē certum, nam secus pueri morientes absque baptismo salvarentur. Quod hæc necessitas medii sit vel in re vel in voto: de fide divina et catholica, ex documentis. Cfr. D 430, 1646-7, 1677, 1717.

### PROBATIO.

#### I *Quod Ecclesia sit necessaria necessitate medii.*

A) Baptismus est necessarius necessitate medii ad salutem. A- finis proprius baptismi est aggregatio ad Ecclesiam. E- etiam Ecclesia est necessaria eadem necessitate. Necessitas medii pro baptismō constat ex Jo 3,5. Agitur de renascentia ad vitam supernaturalem; sicut generatio est necessaria necessitate medii ad vivendum vita naturali, pariter renascentia per baptismum; sed hæc necessitas medii non st̄ absoluta, quia supplet votum baptismi (D 796). Quod finis proprius et immediatus baptismi sit aggregatio ad Ecclesiam patet ex 1 Cor 12,13, D 895, 696 et ex eo quod baptismus validus sed non fructuosus characterem imprimit et aggregat ad Ecclesiam et ideo iterari non potest D 1848. Ergo finis necessarius baptismi non est conferre gratiam sed aggregare ad Ecclesiam.

B) Non possumus salvi fieri nisi pér fidem in Christum Jo 3, 14-18; Act 4,12; Rom 5,12.15-18; 1 Tim 2, 4-6. Jamverō Christus uni Ecclesiæ commisit suam missionem ut opus salutiferum peragat sua ipsa eademque auctoritate Jo 17,18; 20,21; Lc 10,16; Mt 28,20.

#### II *Vel in re vel in voto, saltem implicito.*

Charitas vel contritio perfecta justificat Mt 22,37-40 maximum mandatum; Jo 14,21-24 qui servat mandata...; Rom 13,10 dilectio, plenitudo legis; 1 Cor 13,1-8 de necessitate charitatis; 1 Pet 4,8 charitas operit peccata; 1 Jo 4, 7-8.16 de mutua dilectione. D 1031-1033; 1070-1. Jamvero, hæc charitas, si sit perfecta, secum fert dispositionem adhibendi omnia illa media quæ Deus velit.

## THESIS VI

**Ecclesia Christi est unica et visibilis seu ut vera a falsis discernibilis**

NEXUS. — Post probatam naturam socialem et supernaturalem Ecclesiæ, agimus jam de quadam proprietate ipsius Ecclesiæ, nempe de ejus unicitate et visibilitate.

NOTIONES.—*Unicum* est id quod excludit omne aliud ejusdem speciei. *Visibile* = quod aptum est ut per visum percipiatur. Omnis societas est visibilis non tantum materialiter (id est, quatenus homines ex quibus constat sunt visibles), sed etiam formaliter, ut talis societas (quatenus membra societatis, ut talia, agnosci possunt). *A falsis discernibilis*, id est, quod vera Ecclesia Christi debet habere notas quibus a falsis dignosci possit.

ADVERSARII.—Contra unicitudinem: asseclae Ecclesiae tripartitae (D 1685) et panchristiani (D 2199). Contra visibilitatem, Luther, Calvinus, Harnack, etc.

CENSURA.—Unicitas, de fide divina et catholica D 468, 1955-6. Visibilitas et discernibilitas, de fide divina et catholica D 1793, 1823, Satis Cognitum, Mystici Corporis (n. 7). Definitioni proxima, nam parabatur in Vat.

#### PROBATIO.

##### I *Unicitas*.

A) Ecclesia est unum ovile pro omnibus hominibus sub uno pastore Christo et ejus Vicario Jo 10,14-16; 21, 15-17. Ergo non est locus aliis ovilibus independentibus ab unico Pastore a Christo instituto.

B) Ecclesia est una domus super unicum fundamentum aedificata. «Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam». Ergo non est locus domibus extra hoc fundamentum constructis.

C) Ecclesia est unum Corpus sub uno Capite, Christo. Ergo non est locus membris seu organis segregatis.

D) Jam probatum est Ecclesiam esse societatem monarchicam sub uno Christi Vicario et Christum omnes homines obligasse ut Ecclesiam ingredierentur; ergo non est locus aliis Christi Vicariis independentibus ab unico vero nec asseclis Christi qui ejus legitimo Vicario non obdiant.

##### II *Visibilitas*.

Ecclesia Christi debet esse formaliter visibilis, qua societas. Membra debent cognosci ut talia. Auctoritas socialis, inaequalitas juris socialis, quae exsistit in omni societate, est aliquid visibile et manifestum. Triplex potestas et ejus exercitium efficiunt visibilitatem Ecclesiae.

##### III *Discernibilitas Ecclesiae veræ a falsis*.

Christus, instituens Ecclesiam suam tamquam unicam et impo- nens omnibus hominibus obligationem eam amplectendi, debuit eam facere discernibilem a falsis ecclesiis, quia secus hujusmodi obligatio- esset vana et illusoria.

## THESIS VII

### Unitas, Catholicitas, Apostolicitas, Sanctitas sunt Ecclesiæ Christi proprietas necessariæ

NEXUS.—In thesi præcedenti diximus veram Christi Ecclesiam esse a falsis discernibilem. Nunc igitur hæc quæstio ponitur: Inter diversos cœtus christianos qualis est vera Christi Ecclesia? Quomodo dignosci potest tamquam unica vera Christi Ecclesia? Responsum ad hanc quæstionem gravissimam invenitur absque dubio in iis quæ in tractatu præcedenti investigavimus de institutione et indole veræ Ecclesiæ secundum fontes. Sane sunt multi christiani qui credunt in Christum, in ejus revelationem, et Ecclesiam Christi habent tamquam opus divinum et tamen non sunt in sinu Ecclesiæ Catholicæ-Romanæ, sed cœtus suos effecerunt. Hos habemus nunc præ oculis. Quomodo poterunt hi dignoscere veram Christi Ecclesiam, ita ut hæc distinguatur a quibuslibet sectis? Tres viæ indicantur quibus possumus pervenire ad dignoscendam Ecclesiam veram: 1 *Via historica*: hanc secuti sumus in tractatibus præcedentibus De Regno Dei et De Constitutione Ecclesiæ. Ibi probatum est Christum instituisse Ecclesiam super Apostolos et super Petrum; successores Apostolorum sunt episcopi, successor Petri in Primatu est Romanus Pontifex, ergo Ecclesia quæ servat hanc constitutionem datam a Christo est unica vera Christi Ecclesia. Nota petreitatis seu romanitatis est quæ inservit ad dignoscendam veram Ecclesiam: ubi Petrus, ibi Ecclesia.—2 *Via notarum*. Secundum fontes Christus voluit ut Ecclesia sua haberet quasdam proprietates. Hæc proprietates sumuntur ut signa quæ inserviunt ad dignoscendam veram Ecclesiam.—3 *Via empirica*. Considerat existentiam et vitam ipsam Ecclesiæ tamquam miraculum continuum, tamquam opus vere divinum, quia vita Ecclesiæ appetit signis manifestis instructa quibus Deus confirmat ea quæ Ecclesia prædicat de Illo.—Nunc tribus his thesibus exponimus viam notarum.

NOTIONES.—*Proprietas* = quidquid alicui rei præter ejus essentiam inest. Quoniam tandem aliquando totum esse Ecclesiæ derivatur ex positiva voluntate sui Fundatoris, proprietates necessariæ Ecclesiæ erunt illæ quas Christus voluit ut inseparabiliter comitarentur suam Ecclesiam. Ex natura et constitutione Ecclesiæ multæ proprietates necessariæ deducuntur, sed hic circumscribimus tractationem ad quatuor quas memorat Symbolum.

CENSURA.—Articulum fidei ex Symbolo D 86.

## I. Unitas

NOTIONES.—*Unitas* = proprietas qua res est indivisa in se et divisa a qualibet alia. Unitas ergo excludit divisionem rei intraneam. In Ecclesia datur triplex unitas: fidei, regiminis et cultus, seu, ut ait Leo XIII D 1956, mentium, voluntatum et agendorum. Unitas fidei: consensus mentium in eadem fidei professione, sub supremo Ecclesiæ Magisterio. Unitas regiminis: conspiratio voluntatum in eundem finem socialem sub Ecclesiæ supraemna potestate regendi. Unitas cultus est convenientia in usu sacramentorum et actuum liturgicorum sub Ecclesiæ supraemna potestate sanctificandi. Hæc triplex unitas obtinetur per obedientiam ad triplicem potestatem hierarchicam a Christo institutam.

Distinguitur præterea unitas juris et unitas facti. *Unitas juris* non est nisi facultas moralis exigendi auctoritative triplicem unitatem supradictam. Unitas facti est eadem triplex unitas in praxim deducta seu de facto exhibita a membris Ecclesiæ. In thesi agitur de unitate facti, nam alia supponitur.

ADVERSARII.—1) Unitatem regiminis negant omnes illi qui defendunt autonomiam sectarum independentium; ita Orientales, cum suis ecclesiis autocephalis, qui dicunt «septa ecclesiarum cœlum non attingunt». Similiter Protestantes omnes et Anglicani, cum suis ecclesiis nationalibus et sectarum multitudine. Asseclæ Ecclesiæ tripartitæ, panchristiani etc. 2) Unitatem fidei et proinde cultus negant Protestantes, qui absolute carent tali unitate.

### PROBATIO.

A) *Ex Christi metaphoris.* Christus instituit Ecclesiam, societatem perennem, ad instar Regni, domus, unius ovilis et unius corporis. Jamvero societas ædificata juxta hæc exemplaria, necessario debet habere unitatem. Ergo Unitas debet esse proprietas necessaria Ecclesiæ. Christus ipse dixit: Omne regnum intra se divisum desolabitur, omnis civitas vel domus divisa non subsistet Mt 12,25. Et: Fiet unum ovile et unus Pastor Jo 10,16. Sicut corpus est unum, quamvis habeat multa membra, sic est Christus = Ecclesia 1 Cor 12,12.

B) *Ex oratione sacerdotali* Jo 17,20. Christus enixe postulavit a Patre unitatem perfectam suæ Ecclesiæ. Jamvero oratio Christi non potest non esse exaudita. Ergo Ecclesia necessario servabit semper

unitatem facti. Et talis unitas debet servari saltem in rebus essentia-  
libus, id est, in fide, regimine et cultu.

Testimonia Patrum R 56, 93, 188, 192, 241.

## II. Catholicitas

NOTIONES.—*Catholicitas*, a græco *kaz'* et *ólos*; *kazolikós*=universalis, perpetuus. Tamquam cognomen Ecclesiæ prima vice apparet apud S. Ignatium Antiochenum R 65,2 et in martyrio S. Polycarpi, R 77. Catholicitas stricte est Ecclesiæ *unius* lata diffusio per orbem cum membrorum multitudine conspicua. Supponit igitur, ut fundamentum unitatem, quia non potest dici per mundum diffusa si non maneat una.

Catholicitas datur juris et facti. *Catholicitas juris*: jus et officium divinitus Ecclesiæ datum aggregandi sibi ubique terrarum omnes homines. Tali juri correlata est obligatio hominum sese ubique aggregandi Ecclesiæ. *Catholicitas facti*: actualis seu facti numerositas Ecclesiæ membrorum ubique terrarum.

Hæc catholicitas facti vocatur: a) physica, si complectitur omnes prorsus homines, b) moralis, si quamvis non comprehendat omnes, tamen fulget numerositate membrorum et diversitate locorum. Hæc catholicitas moralis potest adhuc distingui simultanea vel successiva (id est, in spatio vel in tempore). Catholicitas dicitur absoluta vel relativa si competit Ecclesiæ absque relatione cum aliis ecclesiis vel ex comparatione cum illis.

In thesi defendimus catholicitatem moralem simultaneam. Id est, ex quo Ecclesia prima vice acquisivit hanc Catholicitatem (jam tempore Irenæi R 192), non potest eam amittere. Quoad ulteriorem determinationem hujus Catholicitatis, sunt diversæ sententiæ apud theologos.

ADVERSARII.—Omnes qui negant unitatem, eo ipso non possunt habere veram Catholicitatem. Ita Protestantes, Anglicani et Schismatici.

### PROBATIO.

A) Ex parabola zizaniorum Mt 13, 24-30.36-43. Ecclesia comparatur plantationi tritici quæ occupat totum mundum et ita exsistet usque ad finem mundi. Ergo Catholicitas de facto, moralis, simultanea et perpetua.

B) Ex Ps 71. De Regno messianico seu Ecclesia prædicitur: numerositas subditorum, extensio universalis, perpetuitas. Ergo ca-

tholicitas moralis simultanea, quia habet magnum numerum subditorum in omnibus locis et in omni tempore.

C) Ex verbis Christi. Eritis mihi testes usque ad finem terrae Lc 24,46. Venient ab Oriente et Occidente Mt 8,11; prædicabitur hoc evangelium in toto mundo Mt 24,14.

D) Ex vaticiniis Vet. Test. Is 2,2 mons Domini, ad quem confluent omnes gentes. Dan 2,35 lapis qui factus est mons magnus, replens totam terram; 7,14 omnes populi et linguæ servient filio hominis; Zach 9,10; Mal 1,11; Ps 2,8; 21,28.

Testimonia Patrum R 79, 192, 556, 587, 838.

### III. Apostolicitas

NOTIONES.—*Apostolicitas* fundamentaliter est perennis in Ecclesia identitas missionis, quam Christus Apostolis tradidit cum Ecclesiam instituit.

Apostolicitas distingui solet saltem triplex: 1.<sup>o</sup> *Originis*, quæ est essentialis identitas, non solum specifica sed individua, hodiernæ Ecclesiæ cum ea, quæ cum Apostolis et ab Apostolis orta est. 2.<sup>o</sup> *Doctrinæ*, quæ est intrinseca et individua identitas doctrinæ Ecclesiæ hodiernæ cum doctrinæ deposito ab Apostolis tradito. 3.<sup>o</sup> *Successionis*, quæ est juridica identitas potestatis docendi, sanctificandi et regendi Ecclesiæ hodiernæ cum ordinaria Apostolorum potestate, legitima successione transmissa.

Identitati originis non obstant accidentales modificationes quibus ecclesiæ particulares sese accommodant omnibus ut omnes lucifaciant. Identitati doctrinæ non opponuntur extrinsecæ additiones, quibus Ecclesia depositum explicat et intelligentiis nostris accommodat. Identitati successionis non officiunt determinationes juris ecclesiastici, statutæ ad aptiorem applicationem juris divini.

Ex hierarchica Ecclesiæ constitutione infertur Apostolicitatatem tam originis quam doctrinæ necessario includi sub apostolicitate successionis in potestate docendi, regendi et sanctificandi.

Apostolicitas successionis distinguitur duplex: 1 *Materialis* seu mera continuatio unius personæ post aliam in aliqua re, sine necessaria ejusdem juris permanentia. 2 *Formalis* seu successio unius personæ in jura et obligationes alterius circa aliquam rem, sine ulla juris mutatione.

Apostolicitas quam supra definivimus est formalis; hæc vocatur directa si per successionem non interruptam ascendit usque ad ali-

quem Apostolorum, ut primum pastorem ejusdem ecclesiæ; indirecta vero, si primus pastor ecclesiæ legitime accepit jurisdictionem ab alio qui habebat potestatem legitime conferendi eam.

ADVERSARII.—Apostolicitatem doctrinæ negant multi protestantes, qui unitatem et identitatem in doctrina non habent tamquam necessariam. Similiter Apostolicitatem successionis, quatenus negant hierarchiam in Apostolis a Deo institutam.

PROBATIO.—Probamus Apostolicitatem successionis formalis, in qua ceteræ includuntur.

A) Christus contulit Apostolis suam ipsam missionem, quæ missio debet subsistere perenniter in Ecclesia usque ad finem sæculorum Jo 17,18; 20,21; Mt 28, 18-20; Jo 14,16.26.

B) Christus promisit Apostolis perennitatem Mt 28,20; Jo 14, 16, sed clarum est, non sese refert eis physice consideratis, ergo eisdem juridice, id est, datur identitas potestatis per successionem formalem usque ad finem sæculorum transmittenda.

Patres considerant successionem formalem tamquam proprietatem distinctivam. S. Irenæus, Tertullianus. S. Cyprianus R 589.

#### IV. Sanctitas

NOTIONES.—*Sanctitas* distinguitur ontologica et moralis. *Ontologica* est independens ab actu humano et inhæret rebus. Ita Ecclesia est ontologicæ sancta quia ejus doctrina, ritus, media gratiæ etc sunt sancta. *Sanctitas moralis* dependet ab actu humano et de ea agitur hic. Tres gradus distinguuntur sanctitatis moralis:

a) *Ordinaria*: importat absentiam et fugam peccati mortalis, cum gratia et observatione præceptorum.

b) *Perfecta*: importat absentiam peccati mortalis et fugam venialium, cum gratia et observatione etiam consiliorum.

c) *Heroica*: est sanctitas perfecta quæ excellit etiam in minimis et maxime arduis rebus.

Sensus theseos est: necessario in Ecclesia semper erunt sancti: cum sanctitate heroica aliqui, cum perfecta multi, cum ordinaria longe plurimi.

ADVERSARII.—Per excessum illi qui dicunt unice sanctos esse membra Ecclesiæ: Novaciani, Donatistæ, Fraticelli, Wiclef, Hus, Jansenistæ etc. Per defectum Protestantes, qui negant omnem sanctitatem cum sua doctrina de justitia imputata. Orientales intelligunt hanc proprietatem tantum de sanctitate ontologica.

## PROBATIO.

A) *Sanctitas ordinaria*. a) Ex sanctitate ontologica. *Fructus necessarius* sanitatis ontologicæ debet esse sanctitas moralis. Arbor bona non potest non dare fructus bonos. Mt 7,17-19. b) Ex Ecclesiæ fine. *Salvatio hominum* non potest obtineri sine sanctitate ordinaria. A— hic finis Ecclesiæ, cum Ecclesia sit opus sapientissimi auctoris, non potest frustrari... E— ...Parabola seminantis ostendit varias vi-cissitudines seminis.

B) *Sanctitas perfecta*. Ex indole propria Legis Novi Testamen-ti. Finis proprius Legis Novæ, prout contradistinguitur a Veteri, est sanctitas moralis perfecta. A— talis finis indefectibiliter obtinendus est. M. Christus non venit solvere sed complere et perficere Legem Ve-terem Mt 5,17-20.21-48. Juveni illi qui præcepta impleverat, Jesus proponit perfectionem novi regni Mt 19,16-29. m. Quia Jesus præcepit ut servarentur omnia quæ Ipse mandaverat et promisit suam as-sistentiam perennem Mt 28,20.

C) *Sanctitas heroica*. a) Christus dilexit Ecclesiam amore he-roico moriens pro ea. Jamver Ecclesia non esset digna talis Sponsi si modo simili non corresponderet ejus amori. Ephes 5,23-30.—b) Christus præcepit Ecclesiæ ut imitaretur suum exemplum charitatis heroicæ. 1 Jo 3,16. Distinctivum Ecclesiæ signum Jo 13,34-5 ; 15,12-14.17. Præterea Christus vaticinatus est impletionem hujus mandati Jo 16,1-4,20.33. «Christus passus est pro vobis (in græco)... 1 Pet 2,21.

Testimonia Patrum R 97,112,186,271,280-1,516,525,640

## THESIS VIII

**Unitas, Catholicitas, Apostolicitas, Sanctitas sunt etiam notæ, qui-bus vera Christi Ecclesia a falsis dignosci potest**

NEXUS.—In thesi præcedenti probavimus Unitatem etc esse pro-prietates Ecclesiæ Christi. Nunc debemus ostendere has proprietates esse etiam criteria seu signa quibus vera Ecclesia a falsis dignosci potest.

NOTIONES.—Criteria Ecclesiæ in genere vocari possunt signa sensibilia quibus vera Ecclesia distinguitur a falsis. Quædani sunt accidentalia seu manifestativa ab extrinseco, e. gr. miracula ; alia sunt essentialia seu quæ necessario fluunt ab ipsa re et tunc dicuntur no-

tæ. *Nota* igitur Ecclesiæ est proprietas distinctiva Ecclesiæ visibilis in quantum veræ. Omnis nota debet habere has quatuor condiciones: ut sit proprietas necessaria, ut sit visibilis, ut sit notior ipsa Ecclesia, nam debet servire ad dignoscendam eam; ut sit facile cognoscibilis. Hæc ultima condicio supponit duo: 1.<sup>o</sup> quod facile appareat talem proprietatem debere esse proprietatem necessariam Ecclesiæ, et 2.<sup>o</sup> quod facile appareat eam inveniri de facto in vera Ecclesia.

Præterea *Nota* potest esse Positiva et Negativa.

a) *Positiva*: cœtus in quo invenitur, eo ipso detegitur ut vera Christi Ecclesia.

b) *Negativa*: si deficit in aliquo cœtu, ipso facto scimus hunc non esse veram Christi Ecclesiam.

In expositione argumenti existunt variae sententiae apud theologos. Omnes admittunt quatuor notas complexive sumptas ducere ad cognitionem Ecclesiæ veræ. Unamquamque notam, singillatim sumptam, esse notam negativam, etiam omnes admittunt. Utrum unaquæque, singillatim sumpta, sit etiam nota positiva, non omnes admittunt.

In thesi agitur de Unitate et Catholicitate facti, non juris; de Apostolicitate successionis materialis, non formalis; de sanctitate morali perfecta et heroica. Et dicimus unamquamque, singillatim sumptam, esse saltem notam negativam.

ADVERSARII. — Protestantes, pro quibus unica Ecclesiæ nota est pura prædicatio verbi Dei et recta sacramentorum administratio. Sed hæc puritas et rectitudo non possunt esse notæ, quia non sunt notiores ipsa Ecclesia. Revera non potest nobis innotescere talis puritas ac rectitudo nisi postquam noverimus veram Ecclesiam et ejus auctoritatem doctrinalem ex qua unice illæ constabunt. Orientales applicant quatuor proprietates Symboli ad Ecclesiam transcendentem, non ad terrestrem. Pro illis vera Ecclesia est illa quæ inviolabiliter servat doctrinam Ecclesiæ Universalis antiquæ, definitam a septem prioribus Conciliis. Sed neque hoc potest nobis constare, si prius non novimus ipsam Ecclesiam.

CENSURA.—Doctrina catholica D 1686.

PROBATIO.—Hæc quatuor proprietates sunt res visibles, notiores ipsa Ecclesia et facile cognoscibiles; ergo sunt etiam notæ. Reversa, unitas facti in professione ejusdem fidei, in regimine et cultu; catholicitas facti moralis; apostolicitas materialis; sanctitas perfecta et heroica, hæc omnia sunt quid visible, facile cognoscibile et notius ipsa Ecclesia.

## THESES IX

**Quatuor istæ notæ, soli Ecclesiæ Romano-Catholicæ conveniunt,  
eamque ut unicam veram Christi Ecclesiam commonstrant**

**NEXUS.**—In thesi præcedenti vidimus quatuor illas proprietates Symboli esse etiam notas quibus vera Christi Ecclesia a falsis dignosci potest. Nunc igitur debemus videre, inter diversos cœtus christianos, cui convenient istæ notæ. Ita cognoscemus veram Christi Ecclesiam, insignitam proprietatibus illis quæ eam distinguunt.

**NOTIONES.**—Ecclesia Romano-Catholica=illa quæ sparsa per totum orbem agnoscit Romanum Pontificem ut supremum pastorem et successorem Petri in Primatu supra universam Christi Ecclesiam.

**CENSURA.**—Ut in thesi præcedenti.

Thesis habet duas partes: in priori ostendimus quatuor has notas convenire Ecclesiæ Romano-Catholicæ; in altera vero probamus illas non inveniri in aliis cœtibus christianis. Ergo conclusio patet: sola Ecclesia Romano-Catholica est vera Christi Ecclesia.

**I PARS:** *Quod quatuor istæ notæ Ecclesiæ Romano-Catholicæ conveniunt.*

A) *Unitas Ecclesiæ Catholicæ.* Quod in hac Ecclesia exsistit unitas facti mira et conspicua est quid manifestum, evidens et agnatum ab omnibus. Omnes undique fideles obediunt supremæ potestati Papæ in doctrina fidei, in regimine et in cultu. Codex Juris Canonici et diversæ Congregationes Romanæ exhibent continuum exercitium hujus supremæ potestatis. Et amplius non insistimus in hac re, siquidem unitatem adesse in hac Ecclesia a nullo negatur.

B) *Catholicitas Ecclesiæ Catholicæ.* Etiam hæc catholicitas est factum evidens; nam hæc Ecclesia habet 400 milliones asseclarum, dum Protestantes non sunt nisi 210 milliones, schismatici vero 180 milliones. Adde quod hæc numerositas juncta est cum Unitate illa prædicta, quod non accedit in Protestantibus et Schismaticis, nam hi non servant unitatem internam inter se. Præterea Catholicitas hujus Ecclesiæ est insuper perpetua, id est, ex quo prima vice obtinuit eam, jam amplius non amisit, quamvis in aliquibus sæculis visa est aliquatenus minui.

C) *Apostolicitas Ecclesiae Catholicæ.* Apostolicitas materialis hujus Ecclesiae est factum evidens: in sede Romana succedunt episcopi absque interruptione, inde a S. Petro, ita ut actualis sit 261 successor S. Petri. Reliquæ sedes orbis catholici habent apostolicitatem indirectam, acceptam a Romana; præterea nunc omnes episcopi designantur a Papa.

D) *Sanctitas Ecclesiae Catholicæ.* Fructus sanctitatis hujus Ecclesiae sunt etiam notissimi. Quot sancti floruerunt decursu sæculorum, quot canonizantur nostris diebus, quamvis processus sit rigidiissimus (CJC lib IV, pars 2.<sup>a</sup>). Præterea in hac Ecclesia existunt quamplurimæ institutiones quæ suapte natura ordinantur ad hoc ut membra sua obtineant sanctitatem perfectam; ita Ordines Religiosi qui amplectuntur consilia evangelica et incumbunt vel vitæ contemplativæ vel operibus charitatis etc.—Sanctitas charismatica, seu miracula in Ecclesia Catholica.

Ergo cuiuslibet evidens est quod in Ecclesia Catholico-Romana implentur quatuor istæ notæ. Ipsi acatholici sæpe laudibus extollunt et vehementer mirantur de hac vita mirabili et de fructibus qui in hac Ecclesia incessanter cœidunt. Sed nunc debemus inquirere utrum alii cœtus christiani habeant has supradictas notas et in quo gradu.

II PARS: *Quod prædictæ Notæ non reperiuntur in aliis ecclesiis christianis.*

A) *Inter Protestantes et Schismaticos deficit vel Unitas vel Catholicitas.*

*Protestantes*, si sumantur omnes complexive, non habent Unitatem; si sumatur unaquæque secta singillatim, tunc deest eis Catholicitas. Defectus Unitatis inter Protestantes complexive sumptus est evidens: quoad regimen dividuntur in plurimas sectas inter se independentes; quoad fidem, in nullo conveniunt, neque in articulis fundamentalibus; unitas cultus, quia est sequela prædictorum, absolute deest. Præterea neque adest inter Protestantes possilitas habendi hanc triplicem Unitatem, quia principio liberi examinis individualis et negatione alicujus potestatis supremæ docendi, regendi et sanctificandi impossibilis redditur omnis Unitas. Jamvero si consideratur unaquæque secta singillatim sumpta, tunc deficit Catholicitas, quia deest numerositas membrorum vel solum vivunt in aliquibus nationibus. Et quoad tempus, Protestantes non existunt nisi a sæc. XVI.

*Schismatici* complexive sumptus non habent Unitatem regiminis, nam dividuntur in ecclesias autocefalas. Theoretice agnoscunt Concilium tamquam supremam auctoritatem, sed numquam celebratum est

post separationem. Ecclesiæ particulares non habent Catholicitatem quia omnes sunt nationales. Quoad tempus procedunt ex sæc. XI.

B) *Deest eis Apostolicitas.*

Tam protestantes quam schismatici orti sunt ex separatione ab Ecclesia Catholica, alii in sæc. XVI, alii vero sæc. XI. Age jam, successio formalis ab Apostolis est proprietas necessaria in Ecclesia Christi; cum separatio facta est, Ecclesia Catholica retinebat hanc proprietatem vel non; si retinebat, dissidentes ab ea, eam amiserunt; si non retinebat, jam extincta erat et neque illi possunt habere. Orientales disertis verbis agnoverunt Papam in prioribus Conciliis, deinde condemnaverunt Phocium D 336 et in Concilio Lugdunensi et Florentino iterum uniti sunt ad Ecclesiam Catholicam.—Apostolicitas materialis deest inter Protestantes; fortasse habent nunc Anglicani, sed per multum temporis non habuerunt (D 1963); Orientales utique servant.

C) *Deest eis Sanctitas.*

Protestantes, quatenus negant liberum arbitrium et statuunt doctrinam de justificatione per fidem sine operibus, tollunt e medio omnem sanctitatem. Similiter respuunt Ordines Religiosos ad observationem consiliorum, cultum Sanctorum etc. Si aliqua sanctitas datur inter eos, hæc non est fructus proprius Protestantismi sed ex patrimonio christiano quod partim retinent. Schismatici habent majorem sanctitatem, quia patrimonium christianum multo melius servant, sed neque hi comparari possunt cum Ecclesia Catholica; præterea deest processus fidei dignus Canonizationis.

*Scholion. De valore viae Notarum.*—Nostris diebus videtur hanc viam amisisse magna ex parte suam vim apologeticam, quia habitus mentales adversariorum mutati sunt, et deest possibilitas argumentandi si non habetur fundamentum aliquod commune illos inter et nos. Præterea non omnes notæ sat claræ præ se ferunt rationem notæ. Sanctitas est aliquid relativum, nam gratia Dei etiam extra Ecclesiam agit; adde quod tam hæc quam ceteræ notæ aliquatenus obscurari possunt in quibusdam adjunctis. Apostolicitas, ut aliquid probet, supponit antea probatam institutionem Hierarchiæ et Primatus a Christo, etc. Propter has rationes minus valoris videtur habere hæc via contra modernos adversarios. Sed pro nobis, domesticis fidei, non caret utilitate, quia dicit ad pleniorē cognitionem Ecclesiæ.

## THESES X

«Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fœcunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile.» (D 1794.)

NEXUS. — Sicut antea dictum est, tres viæ indicantur quibus vera Christi Ecclesia dignosci potest: via historica, via Notarum et via empirica. Via historica sat longa et difficilis, sed valde efficax, inservit imprimis hominibus excultis qui sibi ipsis rationem reddere volunt fundamentorum fidei christiano-catholicæ. De via Notarum deque ejus valore nunc proxime actum est. Nunc manet tractanda via empirica. Hæc via excellit et commendatur ob suam simplicitatem; non supponit longas inquisitiones historicas, potest inservire pro omnibus qui admittunt Deum personalem et possibilitatem miraculorum. In hac via interrogamus Ecclesiam ipsam ut nobis probet se esse unicam religionem veram a Deo institutam. Quoniam hoc non potest constare nisi per miracula, inquirimus in vitam ipsam Ecclesiæ, in qua eluent quædam facta quæ habent rationem veri miraculi moralis. Ecclesia, talibus miraculis insignita, testatur ipsam institutam fuisse a Jesu Christo ut Dei Legato: ergo talis asseſtio vera esse debet utpote his miraculis confirmata. Hæc est methodus procedendi in hac via. Diversitas inter hunc modum probandi et viam notarum est manifesta: in via notarum non tangitur ratio miraculi, tota vis pendet a voluntate Christi qui voluit suam Ecclesiam talibus notis ornatam: ideo in probanda hac voluntate ex fontibus immorandum est. In via empirica abstrahitur a voluntate Christi; unice probatur Ecclesiam ipsam, prout existit, esse quoddam miraculum perpetuum, «signum levatum in nationes» Is 11,12. Longe major pars hominum non est idonea investigationibus scientificis, sed hi habent hac via compendium motivorum credibilitatis facile cognoscibilium.

NOTIONES — Consideratur Ecclesia in sua exsistentia concreta et historica. Indicantur in thesi quatuor qualitates hujus societatis religiosæ: admirabilis propagatio, unitas, stabilitas, sanctitas et fœcunditas in omnibus bonis (id est, fructus omnis generis quos producit). Ut appareat vis probativa horum factorum probandum est ea

induere rationem miraculi moralis, id est, facta hæc superare vires naturales.

Quoad historiam hujus argumenti dicendum est fundamentaliter inveniri jam in Patribus et Apologistis R 1783; uno altero modo in omnibus sæculis adhibitum fuit. Sed tempore recentiore Cardinalis Dechamps exstitit argumenti insignis propugnator, qui magnum influxum habuit in Vat.

**ADVERSARII.**—Rationalistæ et Naturalistæ, qui facta agnoscunt, sed explicant naturaliter. Protestantes etc Uno verbo, omnes acatholici.

**CENSURA.**—De fide divino-catholica definita ex Vat. D 1794.

**PROBATIO.**—Relinquentes factum propagationis (quoniam consideratum est in parte prima Theologiae Fundamentalis), nunc breviter agimus de tribus aliis supradictis.

**I Unitas.** Unitas consideratur hic simul cum Catholicitate. Ecclesia Catholica, per totum mundum diffusa, habet perfectam unitatem regiminis, doctrinæ et cultus. Hæc unitas tam mira non potest explicari ex causis naturalibus: vis physica seu violentia non exsistit; præterea Ecclesia constat ex hominibus nationum et opinionum et tendentiarum diversarum; rectores Ecclesiæ, ut homines, possunt habere fragilitates, peccata et errores; dantur hæretici, novatores, persecutioes omnis generis. His non obstantibus, Unitas Ecclesiæ non ruit. Dicendum ergo quod ratio naturalis adæquatua hujus facti non invenitur.

**II Stabilitas.** Hic consideratur Ecclesia tamquam societas quæ constituit unum corpus et defendit suam exsistentiam et integritatem, non obstantibus oppugnationibus. Quot persecutioes cruentæ et in-cruentæ! Sed Ecclesia ex his omnibus egreditur incolumis et nova cum vita, manens semper eadem. Quomodo potest explicari tale factum? Lex mortis illam non attingit. Quoties vaticinata est proxima mors Ecclesiæ, toties apparuit novo vigore et juventute ornata. Neque hoc factum potest naturaliter explicari.

**III Sanctitas et fœcunditas.** Fructus proprii et peculiares Ecclesiæ sunt fructus sanctitatis. Revera, sanctitas est (ut experientia testatur) ratio efficacissima ad convincendos homines de sua veritate et missione divina. Fructus sanctitatis Ecclesiæ in suo conspectu generali considerandi sunt hic: quot Sancti, Martyres, Ordines qui ducunt ad sanctitatem et dediti sunt vel vitæ contemplativæ vel misericordiæ operibus; demum fructus quoad culturam et civilizationem;

miracula etc. Hæc omnia, si bene perpendantur, non habent explicationem sufficientem in ordine naturali.

Ergo ipsa vita et exsistentia Ecclesiæ est miraculum morale, per quod Deus testatur originem divinam et veritatem nostræ religionis. Et quidquid Ecclesia dicit de se verum est, utpote a Deo talibus signis divinis confirmatum.

*Scholion.* «Satis Cognitum». Velut appendix et compendium De Ecclesia Christi possunt hic explanari litteræ illæ egregiæ Leonis XIII de unitate Ecclesiæ.

### Conclusio finalis totius 2 æ partis

Ergo ex omnibus consideratis infertur Jesum Christum suam missionem et divinam legationem Ecclesiæ ab Ipso fundatæ commississe; id est, societati religiosæ cui Ipse dedit constitutionem monarchico-hierarchicam et quæ, sub ejus assistentia, opus salvificum Christi perficere debet inter homines usque ad finem sæculorum. Hæc Ecclesia a Christo instituta nulla alia est nisi Romano-Catholica, quia unice hæc servat constitutionem et proprietates quibus Christus suam Ecclesiam ornatam voluit. Christus nullum agnoscit ut suum discipulum qui Ecclesiæ non obtemperet. Non datur Christianismus verus extra genuinam Ecclesiam Christi. Nullus potest esse sectator Christi et rejicere auctoritatem Ecclesiæ, quia hæc est heres ab Ipso instituta ad continuandum suum opus salvificum.

## INDEX

---

### Tractatus I

	Página
<b>DE REGNO DEI . . . . .</b>	<b>7</b>
De Regno Dei eschatologico et præsenti . . . . .	12
De Regno Dei externo et interno. . . . .	16
De indole mere religiosa Regni Dei. . . . .	18
De relatione Regni Dei messianici ad Vet. Test. . . . .	20
De universalitate Regni Dei . . . . .	23

### Tractatus II

<b>DE CONSTITUTIONE ECCLESIAE. . . . .</b>	<b>27</b>
Sub qua forma organisationis Jesus Ecclesiam constituerit . . . . .	28
De Ecclesia, qualis fuerit tempore Apostolorum . . . . .	44
De Ecclesia, qualis fuerit tempore post-apostolico . . . . .	50

### Tractatus III

<b>DE NATURA SUPERNATURALI ET DE PROPRIETATIBUS ECCLESIAE . . . . .</b>	<b>69</b>
De fine Ecclesiæ. . . . .	69
De Ecclesia societate perfecta . . . . .	70
De Ecclesia Corpore Christi Mysticō . . . . .	73
De membris Ecclesiæ . . . . .	76
De Ecclesiæ necessitate . . . . .	78
De Ecclesiæ visibilitate et discernibilitate . . . . .	79
De via notarum ad dignoscendam veram Ecclesiam . . . . .	81
De via empirica ad dignoscendam Ecclesiam veram . . . . .	91
<b>Conclusio totius 2 æ partis . . . . .</b>	<b>93</b>